

*A. M. II, 138.*

*h. 96, 13.*

X 1880765

*Q. D. B. V.*



DISSERTATIO POLITICA

*De*

**JURE MAJESTATIS IN ACADEMIAS,**

*QUAM*

**SUB PRÆSIDIO**

*VIRI PRÆCLARISSIMI AC PRÆCELLENTISSIMI,*

**DN. M. CHRISTIANI Röhrenseens/**

*Colleg. Philos. & Pract. Phil. Prof. Publ. ADJUNCTI  
meritissimi,*

**FAUTORIS, atq; studiorum suorum PROMOTORIS  
atatem de venerandi,**

*Publicè ventilandam proponit*

**MAURITIUS HEINRICUS à Wittib/**

**Eqv. Misn.**

*Habebitur ad d. 21. Jun. A. M. DC. LXXI.*

**In Auditorio Majori,**

**Horis Antemerid.**



**WITTEBERGÆ,**

**Literis MICHAELIS MEYER:**







MADRITIVS HEINRICVS : SINGV

Edv. Milla  
Habitus ad d. n. J. n. M. DC. LXXI  
In Auditorio Majori  
Halle

WITTEBERGA  
L. n. MICHAELIS MAYER







I. N. J.

1.

**D**UO cum primis prostant mo-  
menta, quibus civitas omnis atque Res-  
publica, quin imò universa societas ge-  
neris humani efflorescit pulchrè ac con-  
tinetur, Numinis videlicet cultus ac ve-  
neratio, humanarumq; legum vinculum. Nemo ete-  
nim tam demissi in terram animi est, quin erigatur ad  
coelum, tollendoq; oculos ex ipsâ rerum magnitudine,  
varietate, mirabiliq; vicissitudine aliquam colligat pro-  
videntiæ vim, DEumqve habendum sciat, etiamsi, qua-  
lem habere conveniat, non protinus intelligat. Nimi-  
rum quælibet Respublica innititur vinculo, quo magi-  
stratus subditis, & hi vicissim illis obligantur; quod eò  
habetur sanctius, cum interesse rebus humanis cœleste  
Numen creditur, cujus arcano ductu non proventus  
modò agrorum, anni temperies, clementia cœli, mu-  
lierum partus, rei familiaris incrementa, mortaliumq;  
in universum fata & incolumitas disponantur, sed im-  
peria quoque constituentur, evertantur, conserventur:  
quodq; gravissimis eos affecturum sit poenis, qui aut ma-  
lè gerunt imperium, aut debitum obsequium detre-  
ctant. Quæ de religione opinio cum civium semel oc-  
cupa-

A

cupa-



cupavit animos, tantò placidius suis parent rectoribus, quos Numinis in terrâ gerere vices, & quâdam quasi societate cum eo conjunctos vident. Adeò necessaria in Republicâ est sacrorum cura, ut haud sciam, an pietate adversus DEUM sublatâ, fides etiam, & societas generis humani, & una excellentissima virtus justitia tollatur: ut præstare videatur, falsam in civitate esse ac coli, quàm nullam. Sanè *simulatus ille Numa cum Ægeriâ congressus, & ancilia cælo delapsa, & æterni isti tantaq; sollicitudine semper custoditi Vestæ ignes, aliq; ejusmodi figmenta, aut instituta, ut reapse vana sunt, stolidâ, & si mollius accipias, miseranda, ita inter præcipua continendi Romani Imperii instrumenta fuere.* BOXHORN. *Disfert. 2. de Rom. Imp. §. 8.* Atq; exinde est, quod jura & leges à Majestate latas eò æqviori accipiant animo, cum ab iis illas profectas existiment, qui divini aliquid præ se ferunt, Numinisque metu ita continentur, cœlesti adeò armantur virtute, ut præter jus fasque nihil ab illis incommodi metuere habeant. Quibus ipsis multorum capitum turba in unum coalescit corpus, suiq; commodi ita studiosa est, ut ad salutem publicam potiora referat.

## II.

Quem in finem optimi Principes, rerumque publicarum moderatores, memores officii sui, quod & sacrorum ipsis commendat curam, totiusq; regimen rei publicæ tradit, summo semper allaborârunt studio, ut religioni sua constet integritas, & civium animi melioribus artibus exculi virtuosæ advescant vitæ, placidiusque legum patiantur imperium. Quod ut eò efficerent citius, educationi primam tribuerunt curam, idq;  
pro-



providentur sollicitè, ut à teneris statim ungviculis pietatis ac honestatis amore imbuantur animi, turpium autem accendantur odio, nihil addiscant turbulenti, sed ad concordiam, amorem, ac studium erga rempublicam enutrientur. Facit huc *Scholarum & Academiarum institutio*; quippe quæ vera sunt Ecclesiæ ac Reipublicæ plantaria, omnisq; divinæ humanæq; sapientiæ ac elegantiae promæ condæ. Hæ fundamenta sternunt futuræ felicitatis, quæ nunquam perducitur ad fastigium, nisi hæc probè jacta fuerint. Quod ipsum satis intellexit *Julianus Apostata*; quare Christianis, ne Grammaticam, Rhetoricam, & humaniores literas aut docerent, aut discerent, interdixit: nimirum ne quæstum ex iis artibus facerent, quarum religionem respuerent; aut ne doctrinis gentilium eruditi adversus eos uterentur. JOH. CUSPINIANUS in *Juliano*. Quare cum tanta Scholarum & Academiarum in Republicâ necessitas pariter & utilitas sit, ut solem è mundo tollere videatur, eas qui exterminatas cupit, sedet animo, *Jus Majestatis*, quod in *Academiarum constitutione* occupatur, paullò prolixius exponere, cui operæ divina benignitas faveat.

### III.

Si ad *Academiarum originem* attendimus animum, non antiquissimas modò eas invenimus, sed & plerisq; gentibus olim hodieq; in usu esse. Enimverò hoc non asserimus, quasi antiquissimis seculis idem per omnia floruerit studiorum genus, aut vetustiorum Scholæ eadem prorsus facie aut formâ cum nostris fuerint; loca tamen habuisse destinata studiis, nemo inficias ibit. Olim enim doctorum hominum studia colentium docentiumq;



tiumq; celebritas fecit Academiam. Dn. PETRUS HEI-  
GIUS *Quest. Jur. part. 2. q. 11.* extra omnem dubitationem  
ponit, ante diluvium sanctorum Patrum ædes aliud ni-  
hil, quàm Scholas pietatis & bonarum literarum fuisse,  
& ab Adamo usq; ad Noachum & transacti diluvii tem-  
pora sanctos Patres Doctorum munia apud domesticos  
& alios non tantùm in rebus & doctrinis sacris, sed & in  
Philosophiâ, & imprimis quoad astrorum cursus & sive-  
rum motus sustinuisse. Quod si terrarum orbem per-  
lustramus, multa ubiq; antiquiorum Scholarum vesti-  
gia reperiemus. In *Oriente*, unde omnia bona & pul-  
chra, invenimus, Academiam in Judæâ fuisse, quæ *Da-  
bir* dicta, & prius vocabatur *Kariat Sepher*, q. d. *civitas  
literarum*, quòd inibi disciplinarum omnium rudimen-  
ta tradebantur. Sed & opidatim præterea habebant  
Scholas, quas suo nomine *Batte Midras* vocabant. In ur-  
bibus Leviticis ipsi Sacerdotes in *Najoth*, i. e. bursa, seu  
collegio, *Samuel* in *Scholâ Hierichuntinâ*, & *Ramod Ga-  
laad* aliquandiu *Helias*, demum etiam *Heliseus* studiis  
sacrarum & profanarum literarum præfuerunt. Sic in  
Scholis *Hierosolymitanis*, singulis Collegiis, quorum  
multa fuisse ex ACT. 6, 9, apparet, singulos præfectos  
fuisse Doctores, qui juventutem in studiis præsertim sa-  
crarum literarum informarent, non colligimus modò  
ex GALATINI HILLELEM l. 1. de arcan. cathol. ver. c. 2,  
sed &, quòd Pharisei suos habuerint discipulos, quos in-  
ter & D. Paulus, ad *Gamalielis* sedens pedes, commemo-  
randus. Haud aliter, quando ACT. 6 9. eorum fit men-  
tio, qui fuerunt ex *Synagogâ Libertinorum, & Cyrenen-  
sium, & Alexandrinorum, & Cilicum, & Asianorum* dispu-  
tan-



tantum cum Stephano, diversa Scholarum genera vi-  
guisse Hierosolymis, clarum est.

IV.

A Judæis ad cæteras gentes bonarum etiam ar-  
tium & disciplinarum semina, virtutumq; & bonarum  
rerum exempla omnia promanarunt. Ac in *Ægypto*  
quidem olim *Sais* & *Heliopolis* fuere, ubi Sacerdotes Do-  
ctores artium extiterunt. Profecti eò discendi causâ  
*Homerus, Solon, Thales, Plato*, ac *Moses* ipse in omni *Ægy-*  
*ptiorum* disciplinâ institutus dicitur. Inclaruit hoc no-  
mine postmodum *Alexandria*, quam urbem post Pom-  
peji necem circumiens *Julius Cæsar*, mirabatur pulchri-  
tudinem, & stans inter plebem *Philosophos* audiebat. A P-  
PIAN 2. *Civil.* Floruit ibidem & sacrarum literarum stu-  
dium, & cum primis *Medicina*, adeò, ut pro omni expe-  
rimento suffecerit medico, ad commendandam artis  
auctoritatem, si *Alexandriæ* se dixerit eruditum, ut AM-  
MIANUS auctor est. Fuit hîc & *prima Christianorum Scho-*  
*la*, in quâ *Pantenus*, sectæ *Stoicæ* antea addictus, erudi-  
tione & facundiâ præcellens, vivâ voce & scriptis *Chri-*  
*stianam* religionem illustravit. EUSEB. l. 5. c. 13. HIERO-  
NYMUS, in vitâ *Panteni*. De *Indis* certum est, *Brachma-*  
*nas* & *Gymnosophistas* fuisse, & cætus suos docendi discen-  
diqve habuisse. In *Japoniâ* *Bonzii* sunt, & ii magnos  
discentium cætus in primariis opidis habent. In *Africâ*  
*Carthago* olim maximè literarum gloriâ floruit: quibus  
Propagandis *Almanzor*, *Mauritaniæ* Rex, in opido *Ma-*  
*roco* superba ædificia extruxit. JOHANNES LEO, testis  
oculatus, *Templum* ibi esse refert, quo majus vix reperia-  
tur in toto orbe: in cujus Porticu centum circiter librario-



rum officina, itemq; alia totidem è regione fuerint. Præ-  
terea Collegium ibi nobilissimum, in quo triginta Aula, sive  
Atria, & in medio unum amplissimum: ubi legere consue-  
verint, dum urbs ea, & ibi litera floruerunt. Ex hac au-  
tem migrarunt Fessam, in quâ ducentæ ferè numeratæ  
Scholæ, quarum quælibet formam habuit amplissimæ  
aulæ: & in ambitu dispositi gradus, quibus pueri ceu se-  
dilibus usi. Non minus apud *Abysinos* juvenus literis  
& Philosophiâ imbuatur, & novo nobis more ad Scholas  
it in *Elephantis*. De *Mexicanis* porrò, novi orbis incolis,  
legimus, Scholas in templis habuisse, & ad eas divites  
præsertim nobilesq; filios suos misitare solitos ab anno  
ætatis quinto: ubi à præceptoribus suis docebantur,  
coërcebantur, neq; egredi fas erat.

V.

Ab Orientalibus literæ in *Græciam* propagatæ sunt,  
quæ *Asia*, *Italia*, *Gallia*, *Hispania*, *Sicilia* easdem commu-  
nicavit. Vetustissimam in *Bæotia* Scholam *Mycalesæ*  
bello Peloponnesiaco fuisse *THUCTIDIDES* ostendit, l. 7.  
quæ urbs cum ex improvise caperetur à Thracibus, in-  
ter clades præcipua numeratur, quòd incidentes in ludum  
literarium (qui maximus ibi erat, & pueri etiam paullò an-  
te ingressi) omnes interfecerint. Quis porrò *Athenas* ne-  
scit? quam literæ & facundia, & civilis ordo disciplinæ  
velut templum habuerunt; adeò ut & in sacris, ACT.  
17. 18. Atheniensium Scholæ mentio fiat, quemadmo-  
dum & *Corinthiaca*, ACT. 19, 8. Post *Athenas* *Rhodus*, &  
celebres in *Asia* urbes, *Ephesus*, *Tarsus*, *Mitylena* in famâ  
& frequentia maximè fuerunt. In *Italia* occurrunt *Tu-  
rri*; quorum legislator *Charondas* inter alia scivit, ut ci-  
vium



vium omnes filii literas discerent, & præceptoribus, ne pau-  
peres inopiâ deterrerentur, è publico civitatis arario ho-  
noraria solverentur. DIODORUS, l. 12. Sed & Heracles,  
Metapontus, & Croto, ubi Pythagoras cætus habuit juve-  
num, æmulantium studia doctrinæ, simili laude emi-  
nuerunt. Non dicam de Faliscis, Gabiis, Tusculis, penes  
quos ludi literarum discentium vocibus perstrepuerunt:  
Romam adferam, ubi paullò post primum Puni-  
cum bellum L. Livius Poëta docere fabulas cœpit, lu-  
dumque aperuit, ac mercede Grammaticam docuit Sp.  
Carvilius. Quod literatorum genus post bellum Puni-  
cum secundum sic increvit, ut super viginti Grammati-  
corum celebres Scholæ fuisse in urbe tradantur. Cumq;  
antea privatim aperirent ludos, & à discipulis merce-  
dem caperent, primus Quinctilianus publicam Scholam  
Romæ, & salarium è fisco accepit. Vespasiano hæc munifi-  
centia tribuitur à SVETONIO in ejus vitâ, c. 18. quòd pri-  
mus è fisco Latinis Græcisq; Rhetoribus annua centena con-  
stituerit. Rhetoribus addidit Philosophos M. Antonius  
Pius, iisque per omnes Provincias honores & salaria consti-  
tuit. CAPITOLINUS in ejus vitâ. Prorogârunt hæc be-  
neficia & stipendia sequentes Imperatores usq; ad Sym-  
machi ævum, ubi labentibus rebus, artiumq; etiam con-  
temptu Romana juventutis magistris detracta sunt subsi-  
dia solennis alimonie. SYMMACHUS l. 5. Epist. 33. Resti-  
tuit tamen eadem postmodum Athalaricus Gothorum  
Rex, jussitq; sine deductione ea solvi, & semestribus etiam  
singulis. CASSIODORUS l. 9. Ep. 21.

## VI.

Diffusus à Româ literarum amor ac literatorum  
per



p̄r Provincias est. Atq; *Oscæ* quidem in *Baticâ* ludum pu-  
blicum *Græcis Latinisq;* literis *Sertorius* aperuit, & *Hispa-*  
*norum* eò nobilissimos liberos conduxit, instituit, stipendiis  
è publico datis, quod ejus factum *PLUTARCHUS* prodit.  
*Gallia* quoq; literis earumqve Professoribus hospitium  
dedit. *Tradunt*, inquit *SVETONIUS*, *L. Apulejum* (*Gram-*  
*maticum*) ab *Esicio Calvino* Equite Romano prae dote qua-  
dragenis annuis conductum ad docendum. Nam in provin-  
cias quoq; *Grammatica* penetraverat, ac nonnulli de notis-  
simis doctoribus peregrè docuerunt, maximè in *Galliâ Toga-*  
*tâ*. *Mediolanum* etiam Scholam aperuit, quæ grandis  
pro urbe fuit, ad quam docendi causâ evocatum se *D.*  
*AUGUSTINUS* scribit, *l. 5. Confess. c. 13. impertitâ etiam pu-*  
*blicâ* electione. Haud secus *Masilia*, quæ *TACITO* stu-  
diorum magistra audit, *Augustoduni*, *Burdigala*, *Tolosa* &  
locis pluribus viguere studia laudabilium doctrinarum,  
inchoata per *Bardos*, & *Eubages*, & *Druidas*, ad quos,  
auctore *CÆSARE*, *Comm. de Bell. Gall. l. 6.* magnus adole-  
scentium numerus concurrebat, disciplinæ causâ. *SCHE-*  
*DIUS* *de Dis Germ. à Tuyscone* hos profectos arbitra-  
tur. Namque ille pariter divinæ ac humanæ sapientiæ  
gnarus, providens, sine justitiâ ac religionis metu Rem-  
publicam nec coalescere, nec licentiam hominum con-  
tineri posse, unâ cum religione etiam Sacerdotes insti-  
tuit, *Philosophiamq;* cum *Theologiâ* illis excolendam  
tradidit. Hi non ex plebe adolescentes, nec ex inge-  
nuis quidem, sed tantum ex primâ nobilitate ad hæc  
sapientiæ arcana, futuraque sacerdotia admittebant,  
ostendente *P. MELA*, *l. 3. c. 2.* qui, *docent multa*, inquit,  
*nobilissimos gentis, clam & diu vicenis annis.* Denique  
cùm



cùm ingruente barbarie literarum gloria in Gallia quoque oblitterata maximè esset, asseruit doctrinam *Carolus Magnus*, & exules literas in eam postliminiò reduxit. Is enim iterum à Româ artis Grammaticæ, & computariæ magistros secum adduxit in Franciam, & ubiq; studium literarum extendere iussit. Ab eo auctore, impulsu Albinæ præceptoris, quem in discendis artibus magistrum habuit, cæpit *Parisiensis Schola*, quam cæterarum matrem faciunt.

## VII.

In *Germaniâ Ingevon*, Germanorum rex, ut subditos suos humaniores efficeret, publica bonarum artium gymnasia instituisse fertur, quibus religionis veritate & sapientiæ studiis perpolirentur. Et *JONAS AURELIANENSIS* suo tempore sub *Carolo Calvo* tam veram religionem, quàm sapientiam in Germaniâ floruisse testatur. Eum in finem antiquitus instituta fuerunt *Collegia Canonorum*, ut juvenus in iis tam in Theologiâ, quàm Philosophiâ, aliisque bonis artibus erudiretur. Post cùm in iis studia negligenterentur, quòd Canonici occupati essent regum & aularum negotiis, docendi munus in *monasteria* translatum est. Sed nec ibi, memorante *LIMNÆO l. 8. de J. P. c. 1. n. 26.* certam & fixam reperiit sedem. Etenim maxima deinceps Monachorum pars aut onerata cerimoniis non potuit docendi laborem molestum & difficilem simul sustinere; aut ignaviæ & otio dedita à normâ & regulâ antiquâ degeneravit, nihilq; minus curavit, quàm literas. Hinc ne omninò interirent literæ, ac degenerarent in barbariem, quæ eas jam multâ ex parte invaserat, opti-

B

mum





num judicatum fuit, Academias peculiaribus in locis instituerent. Inde Germani, cum ob Academiarum infrequentiam magno cum dispendio suos Bononiam ac Lutetias ablegavissent, postea *Viennensi, Heidelbergenfi*, aliisque Academiis exstructis, melius habere ceperunt. Quorum utilitatem animadvertens *Maximilianus I.* Imperator Rom. in Comitibus Wormatiæ habitis, Anno 1495 monuit Electores, ut propter summam eruditorum inopiam Academias erigerent: quod monitum exaudientes, multas passim Academias exstruxerunt, donec tandem res ad eam pervenit ubertatem & copiam, ut in Germaniâ planè plures numerentur, quàm in reliquâ Europâ universâ. LIPSIUS in *Lovanio*, l. 3. c. 8. MIDDENDORPIUS de *Academiis*, l. 5.

#### VIII.

In vestigandâ origine vocis Academiae in diversa abeunt auctores. Sunt, qui à subjecto loco eam denominari putant, quòd sit, vel esse debeat *τέχαις τῶν δῆμων*, procul ab hominum turbâ, cum fecesu delectentur Musæ, forique strepitum maximè fugiant. Componunt alii vocem ab *ἀκαδημία* & *δῆμος*, ut *aciem*, vel *medicinam populi* denotet, scilicet contra inscitiae toxicum, & gangranam vitiorum. Sed alludi quidem hoc pacto ad rem denotatam potest, utrum verò genuina vocis incunabula sic reddantur, multùm dubitamus. Quare nonnulli Academiam dictam putant ab *Academo*, vel *Ecademo*, sive, ut alii scribunt, *Echedemo*, Heroe quodam, qui privatam suam agellum ter mille drachmis emptum Athenis Gymnasio publico destinasse, & communibus consecrâsse studiis, atque de nomine suo  
appel-



appellasse dicitur. DIOG. LAERTIUS 3. *de vit. Philos.*  
PAUSANIAS *in Atticis.* PLUTARCHUS *in Theseo.* Erat  
autem locus suburbanus, a b Athenis mille passus di-  
stans confitus multis arboribus pulcherrimis, monu-  
mentis etiam virorum fortium ornatus, in quo se im-  
primis exercebant Philosophi: unde HORATIUS l. 2.  
*Epist. 2.*

*Scilicet ut possem curvo dignoscere rectum,*

*Atq; inter sylvas Academi quærare verum.*

Altius adhuc alii vocis primordia à *Cadmo* deducunt  
*Phænicio*, Agenoris filio, literarum, ut fertur, invento-  
re, qui Græcis *Hermes*, Libybus *Hercules* appellatus fuit.  
Ab hoc arx & gymnasium Thebanum *Cadmia*, vel *Cad-  
mæa* nominata, & populi quoque *Cadmæi*: qui ab Argi-  
vis ejecti sedibus suis, Athenas concesserunt, quas hu-  
manioribus excoluerunt studiis, & *Cadmæa*, seu Scholæ  
publicæ originem nomenq; dederunt; quæ postmo-  
dum Libyum & Afrorum more præfixo A, dicta est  
*Acadmæa*, *Acadmia*, & tandem interposito E *Academia*.  
FRANC. JUNIUS c. 1. *de Academ. p. 1.* Quamvis igitur  
dubia sit origo vocis, id tamen certum, Athenis hoc  
nomen inclaruisse primitus, ac postea quamlibet insi-  
gniozem Scholam *Academiæ* appellatione fuisse in-  
signitam.

#### IX.

Nos mittimus *locum*, mittimus, quam à *Platone*  
accepit, celebritatem; tanti æstimatam summis viris,  
ut vel nomen haberent in deliciis. *Cicero* sanè villam  
suam, quam in Campaniâ juxta Puteolos habebat por-  
ticu & nemore insignem, in quâ & monumentum sibi

B 2

instau-



instituraverat, ab exemplo Athenarum vocabat *Academiam*, compositisq; ibi voluminibus *Quaestionum Academicarum* imposuit nomen, PLINIUS, l. 31. N. H. c. 2. Translatum & Academiae nomen est ad *novam sectam Philosophorum*, qui in Academiae gymnasiis doceant, ut è PLUTARCHO, in *Bruto*, colligimus: quorum & *placita* appellationem Academiae subierunt. Solent quoq; Itali *nobiliorum civium collegia*, ubi de certis scientiarum articulis conferunt, aut disserunt de rebus sibi propositis, aut scripta sua reliquorum censurae subjiciunt, Academias nominari, quarum frequens mentio est apud STEPH. GVAZZUM *de Civili convers.* in hoc modestiores *Gallis*, qui egregium Academiae nomen locis, ubi conveniunt illi, *qvitalos, fortunarum suarum arbitros constituunt*, tribuere non erubescunt. LIMNÆUS *de J.P. add. ad l. 8. c. 1. n. 10.* Nobis Academia est *societas hominum ex singulari Majestatis indultu literarum studia docendo & discendo exercentium, jurisdictione & aliis privilegiis instructa.*

X.

Communiter *Universitas* pro æquipollente notione ipsi assignari solet: quod equidem non proprie fit, quasi quædam sint civitates Academiae; cum territorio destituantur: sed quia tale publicum Professorum & Studiosorum collegium, sive corpus, formam quandam habet *parva universitatis*; vel quòd ad eas aditus pateat *universis*, tanquam ad privilegiatas nundinas; vel quòd *genera artium universa*, earumq; Encyclopædiam complectantur. Tametsi enim inveniantur Academiae, in quibus non omnes artium Libera-

lium.



lium facultates docentur, quemadmodum in *Lucretiana* à nulla juris professio, in *Aurelianensi* Theologia nulla; & utraq; tamen Universitas à Pontificibus Romanis in decretis salutatur: à *potiori* tamen factam fuisse denominationem non ineptè creditur. Veneranda antiquitas, & cum eà *D. Hieronymus*, *studiorum* vocabulum satis accommodatè adhibuit; quod animadvertentes alii, ad differentiam particularium Scholarum, *Universalia studia* nuncupârunt. Appellantur nonnunquam & *Schola*, per excellentiam, & cum addito, *Schola majores*, ut distingvantur à Scholis trivialibus; unde & Germanico idiomate *hohe Schulen* nominari solent.

XI.

Curam in Academiis erigendis *Summa Potestati* vindicamus. Huic etenim commissa à DEO est sacrorum cura, cujus cum pars quædam, aut fructus Academiae sint, meritò quoque eminenti illi potestati adscribuntur; unde & Episcopale Jus in *Ecclesiasticum* & *Academicum* distribui solet. Ac interest omninò Reipublicæ, caveri, ne quæ illicita in eam irrepant collegia, unde eidem præjudicium aliquod creari possit: quæ opera illi incumbit, cui universæ civitatis regimen commissum est. Educatur in Scholis juvenus, quæ adultâ ætate sustinere Rempublicam, & ad immortalitatem extollere debet: quò major impendenda industria est, collegia illa literaria curatè institui, & adversus omnis generis corruptelas servari sinceram, ne confirmati nondum animi pravis doctrinis, quas protinus sequuntur mores, inficiantur. Hinc Athenis olim *Sophocles* legum tulit, ut nec Scholæ erigerentur, nec





Philosophorum quis præset, sine Senatûs decreto. Hæc de causâ & privatæ Rhetorum Scholæ olim interdictæ erant. SVETONIUS *de clar. Rhetor.* Ac Imperatores Theodosius & Valentinianus *l. unic. C. de studiis liberal. urb. Rom. Et Const.* universos, qui usurpantes sibi nomina magistrorum in publicis magistrationibus cellularisqve collectos undecunq; discipulos circumferre consueverant, ab ostentatione vulgari præceperunt amoveri.

## XII.

Neque verò eâ in re dubium aliquod superesse potest, si Academiarum faciem, jura & qualitates, quibus hodie gaudent, attendamus. Habent etenim *peculiarem magistratum*, habent *propriam peculiaremq; jurisdictionem*, cui studiosi jurant, & jurejurando se subditos faciunt; quæ cum in rebus civilibus & criminalibus cognoscendi, statuendi, & exequendi potestatem inferat, Majestatem pro principio agnoscat necesse est. Ornantur præterea *certis immunitatibus Et privilegiis*, & præditæ sunt *potestate honores ac dignitatum titulos benè meritis conferendi*: quæ prærogativæ cum inæqualitatem inducant inter eos, qui aliàs civiliter inter se æquales sunt, à nemine proficisci alio possunt, quàm ab iis, à quibus in omnia regimen. Iisdem argumentis hoc probat Magnificus ZIEGLERUS, *de Jur. Maj. Exerc. 6. §. 5.* *Cum nulla, inquit, hodie Academia- rum inter Europeos inveniatur, quæ non proprium habeat magistratum Academicum, propriamq; jurisdictionem, cumq; omnes certis civium suorum immunitatibus gaudeant, Et insuper singulares dignitatum Et honorum titulos diri-*



diribere valeant, quibus omnibus nunc Academia potissimum censentur, non poterunt sanè ab alio ista proficisci, quàm ab eo, qui τὸ κρῆρον habet, & concedendi facultatem. Et §. 7. Quandoquidem tanta hodie Academiis contigit felicitas, ut rudium imperitorumq; hominum, qui plerumq; literatis literarumq; studiosis minus esse solent & qui, foro & judiciis eximantur, per se patet, exemptionem illam à nullo alio proficisci posse, nisi ab eo, qui τὸ κρῆρον tenet in Republicâ, & vel hoc saltem nomine Academiarum institutionem hodiè pertinere ad jura Majestatis. Et quid opus est prolixiori disputatione, cum singulâ ferè Academia privilegia sua reapse iis debeant, quibus summum imperium DEUS largitus est, uti ex earum Catalogo, quem proponit DANIEL OTTO *Jur. publ. c. 24. pag. 694. seqq.* videre est? Sic Bononiensis mater studiorum primùm à Theodosio instituta, deinde à CAROLO MAGNO reparata, postremùm à Lotbario Saxone instaurata, & à CAROLO V. majoribus privilegiis & immunitatibus exornata. Nec Patavina, nec Parisiensis, ut pleriq; contendunt, nec Pragensis alium, quàm CAROLUS Imperatores conditores & confirmatores habuit. LIMNÆUS de *J. P. l. 8. c. 1. n. 33.* Propterea quoq; Alexius Comnenus publicæ Scholæ, quam Constantinopoli crexerat, ipse leges docendi præscripsit. ZONARAS in *ejus vit.* Et Franciscus I. Gallia Rex in Academiâ Parisiensi jus civile Romanorum doceri vetuit, ne fortè ejus imperium agnoscat, cujus leges in Academiis explicantur, ARNISÆUS de *Jur. Maj. l. 2. c. 6. n. 14.*

XIII.

Obstare tamen iis, quæ hæcenus disputavimus,  
puta-



putatur, quòd multi, qui summo imperio non sunt instructi, Academias excitaverint, unde perperam ad Majestatis jura referri videtur. Verùm salva res est. Largimur non inviti, posse inferiores consilia suscipere de erigendâ universali Scholâ, posse suppeditare sumptus, determinare locum, concedere aedificia, ad ejus conservationem necessaria, posse & immunitatibus quibusdam & privilegiis eam instruere, & universim administrationem ejus & curam gerere; non excludendum tamen supremi magistratus arbitrium est, sed ab inferiori vocandum in partes, ut vitam Academiæ ac spiritum afflatu benigno concedat, augeat jura, suâque confirmet auctoritate, quod inferioris benignitas auspicata est. Docet interim MATTH. STEPHANUS de Jurisdic. l. 3. part. 2. c. 2. n. 27. jus Academiæ ex consuetudine quoq; longi temporis acquiri. Et CHOPPINUS de Dom Franc. l. 3. t. 27. n. 22. auctor est, apud Scotos ex consuetudine quâdam Academias fundatas, neq; à Regibus, neq; à Ducibus, sed ab Episcopis: ut Aberdonensem ab Elphinstone Episcopo, S. Andrea à Jacobo Kennedo, tertiam in civitate Glastonensi, ut censu pertenuem, ita Magistris literariis penè destitutam. BUCHANANUS quoq; l. 10. rer. Scoticar. affirmat, anno Christi 1310. publicas Scholas ad fanum S. Andreae aperiri coeptas, magis doctorum hominum consensu, ad professionem literarum se offerentium, quàm ullo publico aut privato accedente auxilio. Sed in his atq; similibus non videndum ubique, quid fiat, sed quid de jure fiat. Non dissimulant, qui res gestas superiorum seculorum tradunt, Clerum dominandi cacoëthes etiam ad summi imperii jura nefariè protendisse, majoremq;



remque civilium, quam sacrarum rerum, gessisse curam, donec eorum libidinem praesides imperiorum coercuerunt. Ac potuit praeterea intercessisse majestatis civilis *consensus*, si non *expresus*, *tacitus* tamen, ut haec Episcoporum conamina subsisterent. Relinquatur itaque Monachis hisce munificentiae laus, quod ad tam praecleara opera subministrarint impensas; Principibus vero servetur gloria, ultimam quasi eis imponendi manum, publicamque armandi auctoritate, & rancum habendi, quod privatorum in literas affectus molitus erat. Caeterum longa consuetudine ac immemoriali tempore quare jus constituendi Academias, eatenus quidem concedi potest, *in quantum praescriptionis usus est introductus*, & inde vim privilegii atque concessionis specialis obtinet; alias *ex se* id ipsum operari praescriptio non potest, *quod tempus ex suaapte natura vim nullam effectricem habeat*. HORNIIUS l. 2. de Civitate, c. 9. §. 20.

#### XIV.

Cum igitur certum sit, Majestatis notare effectum, erigere Academias, haud difficulter porro deducimus, neminem in alieno territorio tribuere sibi hanc curam, & circa Academias constituere aliquid, aut determinare posse, nisi alienum invadere imperium, atque turbare injuste velit. Unde manifestum est, quid de *Romani Praesulis* arrogantiâ pariter & iniquitate censendum sit, qui sibi soli potestatem confirmandi Academias quascunque sumit. Defendunt hanc Pontificis temeritatem sedis Papalis cultores magno numero. VALENTINUS ROTMAR *in Annal. Acad. Ingolst. part.*

C

1. p. 35.





1. p. 35. pro Academiis eas non habet, quæ non munitæ  
sunt Pontificum privilegiis. Eandem fovebant sen-  
tentiam *Cadomi Professores*, quibuscum res erat *Domi-  
nico Budio*: An qui Leidæ gradum accepissent, legi-  
timè promoti viderentur? D. BAUDIUS *Cent. 1. Epist.*  
*11. MATTHIAS* quoq; *STEPHANI* idem statuere in  
*1. de Academ. c. 2. n. 17.* dicitur *LIMNÆO, l. c. n. 40.* Et mi-  
ratur *B. CARPZOVIVS Jurispr. Consist. l. 2. t. 25. def. 396.*  
*n. 2.* quosdam eò audaciæ progressos fuisse, ut veriti  
haud sint scribere, *in Camerâ non admitti, nisi promotos*  
*in approbatis à Pontifice Academiis.* Ne verò nudum  
planè latus objiciant nobis, rationibus quibusdam, sed  
leviculis, armati procedunt in pugnam. Dicunt, Jus  
Academias constituendi semper habitum fuisse *pro spi-  
rituali*, quòd renunciationes Doctorum & Magistro-  
rum fiant permisu Cancellariorum, qui ferè semper  
Episcopi, aut personæ Ecclesiasticæ esse soleant: nihil  
ergò esse æquius, quàm ut Pontificis auctoritas in iis  
condendis interveniat. Sic olim apud *Ethnicos* Ponti-  
ficatûs apicem & Imperii culmen in unius resedisse  
personâ, & in *Republicâ Romanâ* interpretandarum le-  
gum licentiam & actiones apud collegium Pontificum  
fuisse, Titumque Coruncanium, qui fuerit Orator, &  
Pontifex M. ac Pontificii eorum juris peritissimus, pri-  
mum Romæ juris civilis scientiam professum esse, cum  
cæteri ante eum vel in latenti jus retinere cogitassent,  
vel solùm consultationibus vacassent, quàm discere  
volentibus se præstitissent. Confirmare præterea pu-  
tant hoc Pontificis jus tot Academiis antiquas, quæ  
privilegia sua & confirmationes à solo Pontifice ha-  
beant,



beant, quas inter BESOLDUS *de Jure Academ. c. 2. §. 5.* etiam *Tubingensem* refert. Sed nugarum latis.

XV.

Nos uti & in temporalibus, & circa sacra Principibus personis suum asserimus jus, Pontificis autem potestatem & auctoritatem neutrubi agnoscimus, ita & jus erigendi Academias eidem denegamus. Ecquis etenim Pontifici hanc attribuit potestatem, in aliorum territoriis disponendi de iis, quæ ad civile regimen spectant? Sicubi lubeat respondere; *ex usu longævo, silentio, vel oscitantia Imperatorum*; ille hanc potius *tempestatis, quàm potestatis plenitudinem* agnoscit. CAMMANNUS, *Disput. de Jur. Maj. tb. 7.* Si ad Ecclesiasticum regimen relata velint hanc curam, perinde impossibile erit demonstratu, regimen Ecclesiæ non supereminenti potestati, sed Romano Antistiti deberi, ac Apostolatûs officium, quo falsò gloriatur, non contineri doctrinâ verbi, & sacramentorum administratione, sed sacrum etiam Principatum inferre. Spernenda igitur meritò est Papæ jurisdictio, quæ extra territorium jus dicentis exercetur. Adde quòd florentissimæ Academiæ absque Pontificis confirmatione constitutæ olim, & ad hunc diem conservatæ, prorsus edoceant, Pontificis eâ in re nullas partes esse. *Parisiensis* certè Academia toti Europæ notissima, omnigenæ elegantix sedes, literarum domicilium, doctrinæ emporium, Musarum & Gratiarum omnium augustissimum quoddam sacrarium, & omnium Europæ Academiarum mater, virtutis & eruditionis officina, ut THOMÆ





LANSII, Orat. pro Gall. verbis utamur, iongè ante Pontificium canonem Caroli M. auctoritate introducta est.

XVI.

Videamus nunc, quid in recessu habeant momenta, quæ in contrariam partem attulere. Quòd Cancellarii sacri ordinis olim præfuerint Academiis, id non magis evincit, Academias esse corpora Ecclesiastica, quàm Romano-Germanicum Imperium esse ordinis Ecclesiastici, quia Archicancellarii ejus, Elector Moguntinus, Trevirensis, & Coloniensis, sunt personæ ecclesiasticæ. Assumerunt olim & Principes Cancellarios ex Clero, neque tamen propterea curias eorum & aulas ad societates Ecclesiasticas referes. Est omninò dubium inter auctores, *utrum Academia ad Collegia profana, an ecclesiastica pertineant*, plurimis rationibus non spernendis priorem quæsitam partem affirmantibus, quòd à Principibus sint fundatæ, regiùq; beneficii & patrocinii: quod si tamen vel maximè pro adversâ sententiâ esset pugnandum, nec ejusmodi argumentis res efficeretur, & si omnia recto starent talo, nondum in collegia sacra potestas à Majestate civili ad Pontificem transgredieretur. Inulsè quoq; à majoribus & institutis gentium pro confirmandâ potestate Papali discursus instituitur, cum Ecclesiastici Status alia longè sit ratio in *Ethnicismo*, quàm *Christianâ fide*. Nec tam temerarium esse judico Episcopum Romanum, ut Pontificis Maximi gentilis premere velit vestigia, qui pro Christi vicario, successore Petri, Ecclesiæ Christianæ capite se venditat. Certum interim est, penes Pontifices, sive Ethnicos, sive Christianos, non fuisse potestatem,



tem, dandi Professoribus auctoritatem docendi, etiam in urbe Romanâ. LIMN. l. c. n. 43. Et quid demum, si varet comparatio, inde emergeret? Scilicet *Professorem Academicum & Antecessorē* agere Romanū Pontificē posse, salario ipsi ab Academia Patrono constituto. Quod plurimæ in Germaniâ, & alibi locorum Academiae Papali auctoritate cæperint, & confirmatæ sint, negari equidem non potest; interim tamen obscurum esse nequit, id ipsum, quod circa *Academiarum institutionem Romanus Papa sibi vendicat, nullo prorsus jure niti, sed per extremam injuriam civili potestati esse ereptum.* CONRING. *Disp. de Majestate, ejusq; juribus circa sacra & profana potissimis, lb. 46.* Et constat insuper, de Pontificum privilegiis ipsum quoque Imperatorem rectè discernere & judicare. ERNEST. COTHMAN. *Academ. Resp. 1. n. 8. 9 & Resp. 32. n. 8.* unde & in jure Canonico creare Doctorem potest; per notata per BARTOL. & alios, in l. *cunctos populos c. de sum. Trin.* ex quibus enormis eorum error manifestatur, qui non admitti in Camerâ, nisi promotos in Academiis à R. Pontifice approbatis, scribunt; quos contrariis refutat exemplis LIMNÆUS l. c. n. 32.

XVII.

Nonnulli Romanensium prioribus paulò videntur liberaliores, dum erigendæ Academiae jus in solidum quidem non tribuunt Pontifici, *ejus tamen consensum ad minimum & confirmationem Principis arbitrio consociari debere* arbitrantur. ita BESOLDUS, l. c. §. 5. facile obtineri posse putat, *non debere Pontificem invito rege, vel quò alio Principe superiori, Academiam confirmare,*



*mare, si inferior status petat; id quod in Gallia Anno Christi M. D. L. disputatum fuerit, cum Lotharingus Cardinalis Durocortori-Rhemorum Academia constituit, & Pontificum Diploma eo fine impetrasset: quod si tamen non invito Principe hanc potestatem exerceat, eam utique concurrere debere existimat. Suffugium ruinosa causa praebet iterum spiritualis juris praetextus, & quod ante Passaviensem transactionem Academiae Episcopis lege dioecesanâ subjecta fuerint. Sed satis in antecedentibus demonstratum est, Papae potestatem ad civiles actus non pertinere, nec Academiae jus inter spiritualia esse referendum, licet in eo ad spiritualia aliquis habeatur respectus, nec summum imperii jus, cum sui plenitudinem contineat, concomitantem Papae auctoritatem aut expectare, aut requirere. Usurpata quondam ab Episcopis jurisdictio haud magis statuminat jus, quam injusta & tyrannica Pontificis potestas, quâ nefariè in omnes reges & principes usus est; nec respicimus adeò, quid factum fuerit, sed de faciendi jure disputamus. Putat equidem HERMES Fascic. J. P. c. 33. n. 5. ut sana foveatur doctrina, inducatur, doceatur, discatur etiam, ne scilicet haereses & errores contra verbum DEI, & Apostolicas traditiones invehantur, ad Pontificis spectare curam, ac adeò Principes seculares ejus auxilio indigere, sicut in temporalibus Pontifices brachio & ope Principum secularium. Verum enim verò hoc officium jam tum Principis circa sacra potestas importat, quem in finem non ipse duntaxat sacris vacare meditationibus debet, sed sacra quoque instituere collegia, quæ videant, ne quid fidei puritas de-*  
tri-



trimenti capiat. Et docent priora secula, quàm probè curaverit Papa, ut religionis integritas salva sit, quando certum est, *Ordines Romani Imperii* in Comitibus Wormatiensibus, Anno M. D. XXII, celebratis magnam catalogum gravaminum contra Ecclesiasticas personas exhibuisse, cum acerrimâ generalis Concilii postulatione. Quin *Carolus V.* Imperator anno ejusdem seculi XXVI. d. VI. Octobris Granato disertè scripsit ad Collegium Cardinalium: *Papam corporibus & animabus æternum parare exitium, justitiam impedire, Ecclesiæq; thesauro abuti.* Ecquæ jam religionis cura ab ejusmodi antistite expectanda eslet? Parcat igitur operæ nec necessariæ, nec expediendi, seculariq; potestati se non invitus submittat.

#### XVII.

Quando ergò constat, nec *solitariam*, nec *sociam* Papæ auctoritatem ad Academiæ constitutionem pertinere, quid de illis fiet *Academiis*, quæ solâ Pontificis auctoritate confirmata, ac privilegiis instructa sunt, & nunquid earum subsistet valor? Si Principe superiori invito factum sit, nullum est dubium, pro illegitimis eas esse habendas, quemadmodum Gallus hujusmodi conatui rectè se opposuit, ut in antecedenti thesi adduximus: quod si tamen *expressus Principis, aut tacitus accedat consensus*, non ob auctoritatem Pontificis, sed intercedentem illum consensum eas subsistere arbitramur; id quod Imperii totius confirmat observantia, quæ Academiæ in Germania erectæ & apertæ auctoritate Pontificis, quasi ab ipso Imperatore erectæ & Imperiales habentur. *CARPZOV. Jurisprud. Consist. l. 2. Def.*



396. n. 7. Sicut igitur consuetudinis longinquæ illa vis est, ut introducta per illam, valeant, quòd Princeps conuivendo, & permittendo id, quod prohibere poterat, consensisse videatur: ita & similis ratio pro Academiis solâ Pontificiâ auctoritate gaudentibus militat, cum præcipuè & multa *utilitatis gratiâ* deinceps sustineantur, quæ nullo jure approbante facta sunt. Ex quibus videmus, undecunqve tandem Academiarum origo repetatur, Principis potestati nihil inde decedere, quòd, si non *immediatè* semper & *expresse*, *mediatè* ad minimum, & *explicite* ipsius concurrat arbitrium. Unde rectè infert Celeberrimus ZIEGLERUS *Dissert. laud. §. 9. privilegia etiam à Pontifice Academia concessa Principis subjacere imperio, ita ut vel approbare eadem, vel revocare pro re natâ possit. Et si probaverit, non valere ea ex concessione Pontificis, sed ex concessione ipsius Principis, quippe qui approbando auctor ipsorum extiterit, sine quo aliàs inutiliter darentur.*

#### XIX.

Satis jam de personis actum, quæ constituere Academiam, vel minus, possunt: nunc *Academia* ipsa, circa quam summum illud imperii axioma occupatur, propius videnda restat: ad cujus constitutionem non tantùm concurrunt *personæ*, quæ literatum illud corpus efficiunt; sed etiam *certaines*, quibus sine subsistere nequaquam potest, referuntur. Personæ *docentium discipulorumq;* censu continentur, quibus & accedunt alia, quorum operâ & *ministerio* in laboribus suis ac negotiis eò commodius expediendis utriq; utuntur. *Docentes* aut simul *magistratum* gerunt, ac regimen *Academici-*



demicum moderantur, aut suum *informando* officium  
faciunt. Amplissima eqvidem Academiae jurisdi-  
ctio & potestas est, adeò, ut in multis non ad civilia  
duntaxat extendatur, sed & jus gladii comprehendat:  
mite tamen ac paternum in Studiosos esse convenit  
imperium. Cui fini Rectoribus earum *non securis, aut  
gladius aliquis acutus, sed sceptrum praefertur, modera-  
tioris imperii insigne.* COTHMAN. Acad. Resp. l. n. 204.  
Multa etenim fert adolescentiae fervor non usque-  
quaque laudanda, quae confirmatio aetas pedetentim  
depascit, quae si violento modo extirpare coneris, nihil  
ages; multum, si dissimules quaedam, & condones, ad-  
hortamento ad meliora usus. Laudatur meritò *Fran-  
ciscus Ximinius, Complutensis conditor Academiae;* quò  
cum confluerent ex diversis locis juvenes, qui tam aeta-  
tis fervore, quam novam privilegiorum & insurgentis  
gymnasii libertate, veluti pulli indomiti, sapiculè talia  
edebant facinora, quae oppidanis, insolentiam novo-  
rum hospitem nondum benè concoquentibus, inpo-  
sterum de Studiosis pessimè suspicandi occasionem  
praebent; illa tamen omnia juvenili aetati condonan-  
da, ut risu digna, vir prudentissimus existimabat; & a-  
pud regem *Ferdinandum,* alioqui frementè, sapissimè  
excusabat, cum diceret, *Schola id esse ebullientis spumam,  
quae illicò esset fervorem repressura.* Quare indulgen-  
tem Patrem imitatus Ximinius, cum se in Studiosos  
turbones acerbè vindicatorum rescripsisset, tamen  
non longo post tempore Complutum veniens, oppi-  
danorum prudentià collaudatà, qui insanis adolescen-  
tibus pro tempore cessissent, sese pro illis sponsorem  
D, dedit,



dedit, nihil unquam tale deinceps commissuros. LAN-  
SIUS *Comment. de Acad. pag. 53.* ex ALVAR. GOMEZ, *de*  
*reb. Ferd. XIMEN. l. 4.* Neq; tamen hoc eò dictum quis  
accipiat, quasi omnem in Studiosorum delicta ani-  
madversionem velimus sublatam, quo admisso, quid  
sequeretur aliud, quàm contumax omnis disciplinæ  
contemptus, proculcatio legum, propudiosa honesta-  
tis & verecundiæ decoctio, & quòd pietatis & bona-  
rum artium officinæ Academiae in nescio quæ libidi-  
num prostibula, & feritatis cyclopicae diversoria dege-  
nerarent: sed laudamus omninò temperatam pru-  
dentiâ severitatem, si peccata cum primis exemplo  
noceant, & emendationis spes decollaverit; quòd &  
hoc ex paterno proficiscatur animo, Medicorumquæ  
imitetur solertiam, qui non dulcia semper, verùm  
amara etiam porrigunt ægrotis, eodem tamen animo,  
quo dulcia & oblectantia dederunt. Rectè SALVIA-  
NUS alibi: *Amari, inquit, à nobis nostros, bonestum est;*  
*ladi acerbum; Et tamen hoc ejusdem est interdum animi,*  
*ejusdemquæ pietatis, ut, quum specie dissentiat, ratione con-*  
*cordet. Amor quippe nos facit nostros amare, amor in-*  
*terdum cogit offendere. Utrumquæ, unum est, quum tamen*  
*aliud amoris habeat gratiam, aliud odii offensam.*

XX.

Residet autem hæc potestas penes *totum consi-*  
*lium Academicum*, cujus caput & princeps *Rektor* est,  
qui non vulgari, sed summâ & illustri pollet dignitate.  
Nam principales gubernationis Academicæ partes  
jure imperii & jurisdictionis, quam à principe potesta-  
te, tanquam omnium dignitatum culmine, habet, su-  
flinet,



stinet & Patroni Academiae repraesentat personam. Non parùm hujus officii augent splendorem *Epomis*, seu *paludamentum*, quod publicè gerit Rector, & *Sceptra*, quæ in publicis actibus Rectoribus ab Academiae famulis præferri solent, non quasi *regiam* declarent *dignitatem*, sed ut sint *singulare honoris insigne*, ac de summâ ejus testentur potestate qui Academiam constituit. Quorum Sceptrorum in nonnullis Academiae octo, ut in *Lovaniensi*; in aliis quatuor, ut in *Griphiswalder si*, pro numero quatuor Facultatum; in aliis duo, ut in hac nostrâ, & plurimis reliquis, præferuntur. Artes enim aluntur honoribus, quos eò largius in eruditorum ordinem à summis capitibus derivatos scimus, quò majori in literas amore flagraverunt. *Carolum V.* sanè Imperatorem, cum fortè eslet *Lovanii*, loco cecisise, & latus texisse Rectori ferunt. *LIPSIUS in Lovaniol. 3. c. 3.* Quâ gratiâ & ejus avus *Ferdinandus*, *Hispaniarum Rex*, usus est erga Rectorem Academiae *Complutensis*. Nam cum venienti in *Ildephonsi Collegium* obviam cum sceptris iret Rector, cum Patribus Academiae, & rabduchi regis poscerent, ut sceptrigeri Academici aut submitterent sceptrum, aut deponerent, Rex humanissimus, nihil eâ re majestatem suam imminui sentiens, Academicos solito more procedere jusfit, fas poscere dictitans, ut in *Musarum adibus Musarum sacris initiati regnarent*. *ALV. GOMECIUS de reb gest. Fr. Ximen. l. 4.* Parili ratione *Ludovicus XII. Gallia Rex*, cum subactâ *Genuâ* de *Liguribus* triumphasset, quinque Cardinalibus, & centum proceribus subsellia implentibus, Aca-



demiam honoris causâ adiit, & ad collegium accedens, Jafonis sinistro lateri adeqvavit, his verbis: *Jafon, nunc incipit regnum tuum.* Et inde principes, aliæq; illustres personæ laudi sibi ducunt, operam navantes literis magistratum Academicum gessisse; quibus verò *Pro-Rector* adjungitur, qui Rectoris nomine Studiosos in album recipit, de negotiis suæ jurisdictioni subjeutorum cognoscit, & si quæ alia officio Rectoris incumbunt, pertractat. Sunt & alia honorum insignia & privilegia, quibus Rectores in quibusdam Academiis ornantur. Rector Academiæ *Parisiensis* jus habet, nundinas istas, *du Lendit* dictas, aperiendi. Rector Academiæ *Patavinae* more Senatorum Venetorum, purpuratus incedit, potestq; aureâ uti stolâ, & exacto munere aureâ donatus catenâ in ordinem equitum *S. Marci* recipitur. Rector Academiæ *Bononiensis* facultatem habet absolvendi ab Excommunicatione. Rector Academiæ *Juliae*, durante officio, est *S. Palatii Lateranensis*, *Aulæ & Imperialis Consistorii Comes*: referente WENDELINO, *Doctrina Politica* l. 2. c. 20. p. 253. ex LIMNÆO.

## XXI.

Solet autem Rectoratûs officium *electione* deferri, quæ vel à solis *Professoribus* instituitur, vel unâ à *Magistris & Doctoribus* in Academiâ illâ creatis, ita ut aut *Facultatum*, aut *Nationum* servetur ordo, nisi persona aliqua illustris extra ordinem Docentium eligatur. In *Italia* verò *Scholares*, sive *Consiliarii Nationum* eligunt Rectorem, & illi se dant in jurisdictionem: quod similiter & in *Galliâ* factum ex *Reforma-*



*tione Academia Parisiensis patet. Et quondam etiam  
 Basilea Studiosos interfuisse electioni Rectoris, ex  
 WURSTISII Chron. Basiliens. l. 5. c. 2. p. 425. memorat  
 LIMNÆUS l. c. c. 5. n. 10. In quibusdam deniq; Acade-  
 miis, ut Helmstadiensi, & Cbilonensi, Pro-Rectores sal-  
 tem creantur, nec illustre Rectoris nomen ulli, nisi  
 Principibus illarum Fundatoribus ac Nutriciis, alternis  
 vicibus defertur. RELFENDSO HEROMONTANUS  
 de summâ Princ. Germ. potest. c. 5. p. 109. Munus electi  
 Rectoris jam tum insinuavimus, scilicet ut in album re-  
 cipiat Studiosos, de Universitatis ac singulorum causis ju-  
 dicet, Academia jura & privilegia tueatur, nihilq; omit-  
 tat, quod ad ejus conservandum statum, augendam au-  
 thoritatem, promovendas literas, servandamq; discipli-  
 nam facere potest. Unde in gravioris momenti rebus  
 non utitur modò suis Assessoribus, aut consilio Decano-  
 rum, sed & sæpenumerò totum Senatum Academicum  
 per ministrum publicum convocat, expositâ in schedâ  
 obsignatâ convocationis causâ, ut instructiores &  
 præmeditati accedant.*

## XXII.

Cæterùm hic magistratus nullibi ferè perpetuus  
 est, sed in quibusdam locis trimestris, ut olim Lovanii;  
 alibi quadrimestris, ut Colonie; alibi semestris, ut in no-  
 strâ & vicinis Academiis; alibi annuus, ut Altorphii;  
 alibi triennalis, ut Salisburgi, uti LIMNÆUS l. d. c. 5. n. 28.  
 & HERMES, l. 4. n. 129. commemorant. Neq; hoc ju-  
 sto destituitur fundamento, quod ita expedit LIMNÆUS:  
*Aut Rectoratus bonus est, aut onus. Si bonus, utiq; omni-  
 bus dignis in isto Collegio successivè merito defertur.*

D 3

Æqua-



*Æqualibus enim æqualia tribuenda, ARISTOTELES l. 5. Ethicor. Sionus, non semper ab uno, sed per vices ab altero quoque supportari debet; ne quidam melioris sint conditionis aliis, ne æqualibus inæqualia tribuamus, uni quietem, alteri negotium: Et ne unus semper hocce onere gravatus legendi munus publicum cogatur intermittere.*  
RELFENDSO eqvidem HEROMONT. in cit. Tract. p. III. utile ac principiis Politicis haud incongruum esse ait, si ambulatorium Rectoris officium in perpetuum transformetur, ac uni solùm personæ justæ ætatis, humanitatis ac gravitatis laude præstanti, nec non morum juvenum, nobilium, pauperum ac divitum accuratam habenti cognitionem, ac prudentiâ seditio- nes præcavendi, aut forsitan jam ortas componendi, pollenti, Rectoris perpetui munus imponatur. Idque arguere opinatur egregium locum ARISTOTELIS, l. 2. Pol. c. 1. ubi, *satius, inquit, eosdem supremum habere imperium, si fieri potest.*

### XXIII.

Sed vix subest ratio, quare ab introducto in Academiis habendi regiminis modo recedatur; cum, si ex numero Professorum perpetuus constituatur Rector, id reliqui ad contemptum suum sint interpretaturi, quasi ad gerendum illud officium habeantur inepti, quod nec Patroni augeret gloriam, quo sine prudentissimè rescripsit POTENTISSIMUS ELECTOR SAKONIAE, gloriosæ memoriæ, de anno M. DC. XXX. *Wie auch nicht gerne einen unter unsern Professorn wissen wolten/deme die andern salva conscientia bey der Rectorats Wahl ihre vota nicht geben könten/ allegante*



gante B. CARPZOVIO, *Jurispr. Cons. l. 2. t. 25. def. 398. n. 23.*  
Si autem aliquis *extra corpus Academicum* muneri illi  
præficeretur, entia & impensæ præter necessitatem  
multiplicarentur. Nam quòd fasces Academiarum ab  
iis quandoqve teneri causatur, qui Philosophiæ qui-  
dem, sed nullam juris habent peritiam, id rem non  
conficit, cum ad plurimorum negotiorum expeditio-  
nem parùm conferat legum scientia; nec ingeniorum  
notitia, prudentia præcavendarum & sopiendarum se-  
ditionum, ut & rerum gerendarum solertia, aliundè,  
quàm ab historiarum lectione, & conversatione cum  
prudentibus, quam infucata moderatur Philosophia,  
petenda veniat; in iis verò rebus, quæ ex juris fonti-  
bus sunt decidendæ, Assessorum, totiusqve Senatûs  
Academici consilium præstò sit. Ita in Academia Ro-  
stochiensis constitutum est, ut eadem horâ, quâ novus  
Rector eligitur, etiam *Promotor generalis* eidem, tan-  
quam Assessor, istis negotiis expediendis, quæ præsen-  
tiam totius Concilii non requirunt, adjungatur: ita  
tamen ut si Theologus, Medicus aut Philosophus Re-  
ctoratum gerat, tunc Promotoris officio *Jctus* semper  
fungatur. COTHMAN. *Acad. Resp. 39. n. 28.* Taceo,  
quòd impertinenter planè ARISTOTELIS locus ad-  
ducatur, qui non de *regimine Academico*, sed *guberna-  
tione civitatis*, non de *subordinato*, sed *supremo Imperio*,  
aut *supremi amulo*, & quidem *ratione certi Statûs* loqui-  
tur; cum alibi expedire putet, magistratum nullum  
habere perpetuum. Adde quòd perpetuitate hujus  
magistratûs non possit non oriri periculum disensio-  
nis, miserè laceraturæ Academicum corpus, nisi no-  
cendi occasio eidem dematur.



## XXIV.

Transimus nunc ad *Cancellarium*, qui in quibusdam Academiis est *perpetuus*, in aliis *ambulatorius*, in aliis (qualis est *Jenensis*) planè non reperitur: in plerisque; *unus* tantùm adest, in quibusdam verò ut in *Paciensi*, *quatuor* existunt, pro multitudine Facultatum: in aliis Rectore censetur *major*, ut in *Tubingensi*, in aliis *minor*: in quibusdam peculiariter constituitur, in aliis quoad officium à *Decani* personâ sustinetur. Officium ejus est I. ut *Academiâ* protegat, & defendat ab injuriâ, si quæ illi inferatur. II. ut in causis *secundæ instantiæ* judicet, ita ut à *sententiâ* *Rectoris* ad *Academiâ* *Cancellarium* sit *provocatio*; quod tamen *catolicum* non esse *LIMNÆUS* observat, l. c. c. 2. n. 9. III. ut *facultatem conferendorum Graduum Scholasticorum summi Principis nomine Decanis singularum Facultatum, sive Promotoribus, concedat.* *LANSIUS* de *Acad.* p. 58. Olim hoc munere functi sunt ut plurimum *Episcopi*, quemadmodum *Lipsiensi* datus *Episcopus Martisburgensis*, *Wittenbergensi* *Episcopus Magdeburgensis*: nunc cum post *Pacem religiosam* *Episcopalia, seu Ecclesiastica jura* penes *seculares Principes, Augustanæ Confessionis addictos*, resideant, illis quoque in suis Academiis disponere de *Cancellariatu*, & ex *Reipubl. literariæ utilitate* statuere licet: qui munus illud *Professoribus*, & quidem plerumque *Decanis*, quos propterea *Pro-Cancellarios* vocamus, demandare solent. Solent & quibusdam Academiis præter *Cancellarium Conservatores privilegiorum* dari, quorum officium est, *Studiorum privilegia observare, eadem sartatectaque custodire, sibiq; commissos Studiosos*



*diolos à manifestis injuriis & offensis defendere. PETR. GREG. THOLOSANUS, l. 18. de Republ. c. 10. Sed in paucis, Gallicas & Lovaniensem si excipias, hoc munus obtinet. Vid. LIMNÆUS l. c. c. 2. n. 12. seqq.*

XXV.

*Quatuor autem plerunqve complecti Collegia Academiae solent, quorum primum Professores Theologos, alterum Jureconsultos, tertium Medicos, quartum Philosophos habet, quorum munus ut non est vile & perfunctorium, sed dignissimum, sic vita debet esse inculpata, mores probi, eruditio excellens, dicendi docendiq; peritia eximia, interpretandiq; subtilitas. Quæ doctes ut in iis præsto sint, in eorum electione Patronus personas quasdam habiles denominari sibi ab Academia curet, de quâ non est dubium, quin debitâ ratione in eruditionem, mores, & qualitates denominandorum antea inquisiverit. Expresit hæc paucis Imperator JULIANUS, l. 7. C. de Professor. & Med. Magistros studiorum doctoresq; excellere oportet moribus primùm, deinde facundiâ. Sed quia singulis civitatibus adesse ipse non possum; jubeo, quisquis docere vult, non repente, nec temerè profiliat ad hoc munus, sed judicio ordinis probatus decretum curialium mereatur, optimorum conspirante consensu. Quodlibet Collegium eligit sibi Decanum, cujus munus est I. Causas Facultatis suæ moderari & procurare. II. convocare Collegas. III. res ad Facultatem delatas aut aliâ ratione ad eam pertinentes, proponere, aliorum rogare suffragia, iis auditis majora in Collegio promulgare, concipere sententiam, descriptamq; sigillo munire. IV. Candidatorum, gradum ambiendum, nomi-*



na ad Senatum referre, admittere eos ad tentamina & examina, certasq; iis leges proponere. Ad Docentium classem referri etiam possunt alii Doctores & Magistri Academici, non-Profesores, qui studiosam juventutem privatâ operâ informant, bonumqve Academiæ, quantum in ipsis est, secundùm leges & statuta uniuscujusq; loci promovent.

## XXVI.

Ad *Discentes* nunc promovemus gradum, qui & *Scholastici*, & *Scholares*, frequentius *Studiosi* & *Studentes*, nonnunquam & *Clerici* appellantur. Qui cum in Academiâ vivere cupiunt, necesum est, ut statim, aut intra tempus legibus definitum, nomina sua apud Magistratum Academicum profiteantur, ac petant, ut in Album Academia, ac numerum Studiosorum recipiantur. Antequam autem in matriculam inscribantur, in Academiis *Germaniæ* (nam in *Gallicis* & *Italicis* id non æquè receptum est) per vulgarem *Depositionis* ritum explorantur; qui ad ingenium juvenum, ad naturam & voluntatem perscrutandam, ad fastum reprimendum, & modestiam ingenerandam primitus introductus videtur. Vid. HERMES, l. a. n. 192. BESOLD, de Jur. Acad. c. 5. §. 1. à LIMNÆO autem & WENDELINO pro inepto, & majestati rei literariæ minùs convenienti habetur. Succedit deinceps *jurisjurandi religio*, quâ in certa quædam capita, de præstandâ Reçtori & legibus obedientiâ, & honore commodisq; Academiæ pro virili, quâcunque occasione, loco, & tempore tuendis pariter & amplificandis adstringuntur, aut ad minimum hæc stipulatâ manu promittunt. Non eo quidem hoc juramen-



mentum à plurimis habetur loco, quo sanctitas ejus  
depostulat, qui non committi perjurum existimant, &  
quid contra ipsius tenorem fiat; verum ejus contem-  
ptus graviter conscientiam lædit, ac perjuratorum nu-  
mero transgressores certò certius adscribit. Confer  
LIMNÆUM, l. c. c. 6. n. 37. & seqq.

XXVII.

In explicandis Studiosorum *moribus & officiis* late  
evagandi daretur occasio, si instituti nostri ratio ferret.  
Non dicam de *pietate erga DEUM*, quæ sicuti ad omnia  
utilis est, ita Studiorum prora & puppis meritò habe-  
tur. Illud *intelligendi acumen, retinendi capacitatem, fa-*  
*cilitatemq; addiscendi*, sine quibus nil præclari in studiis  
efficitur, æquis largitur alius, quàm summum in cœlis  
Numen? Quod & instruit ingressum, progressum di-  
rigit, egressumq; complet ad nominis sui gloriam, &  
Reipublicæ salutem. Sic & *obsequium erga Magistratum,*  
*& observantiam & gratitudinem erga Profesores ac Præ-*  
*ceptores* satis superq; ipsis & serium DEI mandatum, &  
juramenti religio, & rectæ rationis dictamen com-  
mendat. Cumq; eum in finem amendantur in Aca-  
demias, ut literis invigilent, *patientiam cum maxime*  
*laboris*, ac *probitatem vitæ* omnibus probare debent.  
Facesant igitur ex Academiis, qui vitam *inerti ocio,* ve-  
luti muta pecora, transigunt. Etenim

*Non jacet in molli veneranda scientia lecto,*

*Illam sed assiduo parta labore venit.*

Facesant, qui sine cortice statim navigare moliantur,  
obscuraq; diligentia *sine ductore* semeripso prius doce-  
re parant, quàm discant fideliter. Præterea enim,



quòd ejusmodi *αὐτοδίδακτοι* nunquam ferè non sint *αὐτοδίδακτοι*, propterea Profesores aluntur ex publico, & publica habentur Scholæ, ut discentes ex publicis lectionibus solidam sibi eruditionem comparent, nec earum neglectu Studioforum privilegiis se indignos reddant. *Tolosa*, ubi *Johannes Corasius* tantâ auditorum frequentiâ jus docuit, ut aliquando *quater mille* Studiosi vocem Profesoriâ exceperint, olim in auditorii subselliis occupandis mirum erat certamen: cùm Studiosi horâ tertiâ post mediam noctem, aut circiter, irent ad studia, ut haberent loca apta; aliquando mitterent famulos, qui loca custodirent, quos nonnunquam alii Studiosi expellebant, & sic inter istos & famulorum dominos demum supervenientes diræ controversiæ oriebantur. Quare fuit introductum, ut vacua loca occupantibus acquirerentur, & invito primo occupante locum nulli alii occupare liceret; ita tamen, ut auditore infreqvente contra eum locus intra quindecim dies præscribi posset. *PETR. REBUFFUS Scholar. privil. 101.* Sic *Eobanus Hessus*, cùm *Erfordia* Poëtas interpretaretur, *mille & quingentos* auditores habuit. *HERM. KIRCHNER. Or. de fatal. Acad. dissip.* Nunc deferbuit admodùm ille in studia eorumq; doctores ardor, ut solitudo nonnunquam sit in Auditoriis, ac Profesores pauci constantes ac boni discipuli comitentur, qui tamen, ut Platoni Aristoteles, sufficere possunt.

### XXVIII.

*Exulent nocturni grassatores, decoctores patrimoniorum, turbatores pacis & quietis, & viri & digladiatio*



*diationes in pretio habent.* Musarum Charitumque sedes Academiae sunt, in quibus regnare modestia, florescere verecundia, vigere comitas & mansuetudo, triumphare concordia & sobrietas debet, non Bacchus, non furiae, non Plutonis excita sedibus profligatissima vitiorum turba. Abeant *Veneris nepotuli*, qui affectant cameras supra viam, ut videant puellas vicinas, vel transeuntes; qui frequentes ob hanc praecipue causam comparent in Ecclesiis, ut videant Dominas. LANSIUS *de Acad. p. 30.* Virgines Musae sunt, quae non patiuntur multos amplexus, & ab omni petulanti conversatione abhorrent. Neque facilius deteri ingenium, perdi tempus, laedi conscientia, infirmari corpus, amitti pecunia, violari fama potest, quam nimiam cum sequiori sexu familiaritate. Adde quod huiusmodi Studiosorum vitiis & DEUS & homines exacerbentur, & ad vindictam stimulentur. Sic cum Studiosi Academiae *Erfordiensis* petulanter adversus cives sese gererent, & tumultibus nocturnis lacerarent urbem, lapidibus domos & tecta obruerent, fenestras & fores hospitum frangerent, populus oppidanus magno agmine excitus mox Collegiorum domos, ad motis etiam tormentis bellicis, obsedit, expugnavit, ac, ut quemque juvenum Studiosorum offendit, velut hostem arripuit, vulneravit, trucidavit, neque prius quievit, quam vitulantium adolescentum multitudo moenibus esset urbis profligata. H. KIRCHNERUS, *Or. de fatal. Acad. dissipat.* De notabili illo *Jena* Anno M. DC. LX. ex levibus causis orto, sed lamentabili eventum coronato tumultu, in quo, memorante RELFENDSO, *l.c. p. 112.* aliquot Studiosi



temerario ab oppidanis ausu globis transverberati,  
quidam postea, qui fax & tuba videbantur, Vinariam  
Principali jussu captivi ducti, cum in recenti omnium  
versetur memoriâ, dicere nil attinet. Funestius ad-  
huc monumentum Academia nobis *Berytiensis*, lu-  
men olim Phœnicia, præbet. Ubi postquam pulcher-  
rima virtutis & doctrinæ purpura ceciderat in lutum,  
& turpissimam omnium flagitiorum servitutum,  
DEUS tarditatem pœnæ gravitate supplicii compensa-  
re solitus, derepentè intempestâ nocte, cum gurgustia  
heluationibus fumarent, ganæ & lustra libidinibus  
ferverent, cyclopicis clamoribus omnes angiportus  
civitatis personarent, terræmotu terribili immisso fun-  
damenta urbis evertit, mœnia prostravit, tecta diruit,  
domos disjecit, tantâ hominum strage editâ, ut *tria*  
*amplius millia* Studentium, vulgi numero præterito,  
unâ illâ miserrimâ nocte interierint. KIRCHNER. *l.c.*

XXIX.

Intèr docentes discentesque personas quasdam  
*medias* esse supra diximus, quarum operâ & ministerio  
hi utantur. Habet etenim Academia suum *Syndicum*,  
seu *Actuarium*, habet *custodem Actorum publicorum*, ha-  
bet suum *Questorem*, quorû opera uti laudabilis omni-  
nò & necessaria est, sic satis honorifico loco habentur.  
Utitur præterea ministerio *famulorum publicorum*, qui  
vulgò *Pedelli* appellantur, vel quòd Rectori sint à *pedi-*  
*bus*, vel à *pedo* viatorum, cujus loco ministri hi Rectori  
sceptrum Lycei præferunt. VOSSIUS *l.3. de vitiis serm.*  
*c.2. p.378.* vix autem à Græco *Ballo*, quod est *mulgeo*, *su-*  
*go*, quod emungant loculos Scholarium. FR. JUNIUS  
*in tract.*



*in tract. Acad. 136.* Munus eorum est, adesse Reſtori, eundem comitari, præferre ſceptra, convocare Decanos ac Profefſores, citare Studiosos, ut in jus veniant, aliâq; miniſteria obire. Referuntur huc ulterius Studiosorum nuncii, ſive famuli, Typographi, Pharmacopola, Bibliopola & librorum Compactorum Academicorum: qui quaſi acceſſorii ſunt, & minus principaliter ad Academiam ſpectant, qui ſedam etiam juribus ac privilegiis inde fruuntur: quibus & Pugiles, Saltatores, artis equeſtris magiſtri, cytharadi, aliiq; accedunt.

### XXX.

Satis de *perſonis* ad Academiam requiſitis: res quoq; conſiderandæ veniunt, ſine quibus Academia nec eſſe, nec ſubſiſtere poteſt. Ad has referimus *dotem ac redditus Academia*, unde *ſalaria* conſtituuntur Profefſoribus, quæ non modò ſufficiant neceſſitatibus eorum, ſed & ad honorem pertineant. Benè ad Heſperum *STRUMACHUS*, l. 1. *Epiſt.* 73. *Scis, bonas artes honore nutriri, atq; hoc ſpecimen eſſe florentis Reip. ut diſciplinarum Profefſoribus præmia opulenta pendantur.* Ac verendum eſſet, niſi Academia de publicis redditibus proſpiceretur, ne ſuperſtite adhuc Patrono mox agonizet, & moriatur filia, ordine mortalitatis turbato, ante patrem. Quemadmodum, atteſtante *BORNITIO*, c. 3. *de Ærario*, vir magni judicii verè prædixit, propediem interitum novæ cujuſdam Scholæ ſecuturum, publicis fundis deſtitutæ: & id poſt paucos annos ita evenite. Nunquam ſatis de prædicari poteſt Principum nonnullorum & Rerum publ. munificentia, quæ erga bonas literas, publicosq; earum doctores uſi ſunt.

*Alexan-*



*Alexander & hic Magnus, qui Aristoteli in unam historiam animalium scribendam octingenta talenta, nostrae pecuniae quadringenta & octoginta millia Philippicorum, contulit. Et Diocletianus Eumenio Rhetori, in Scholâ Augustodunensi Doctore, annua sexcenta, i. e. quindecim millia Philippicorum assignavit. J. LIPSIUS, l. 2. exempl. & monit. Pol. c. 18. Senatus Bononiensis fertur annuè quadringenta Coronatorum millia in Profesores suos expendisse. Florentini Philippum Decium Mediolanensem Pisis jura docentem annuè stipendio mille quingentorum aureorum honorârunt, ut ipse, ejusq; Epitaphium testatur. HERMES, l. 2. n. 18. Imitati hanc liberalitatem Belgae sunt, qui postquam J. Lipsium è Leidensi Academiâ amiserunt, ut tantam Academiæ suæ jacturam dignè repararent, erepto Galliae suæ palladio, Josephum Scaligerum, Europæ lumen, liberali mille aureorum solarium annuo stipendio vocaverunt, nec quicquam ab isto Musagetâ exegerunt aliud, nisi ut congressu conspectuq; suo, celebritatem Academiæ augetet ac conservaret. LANSIUS d. tr. p. 42. Opera quoq; danda est, ut salaria constituta integrè solvantur Professoribus, licèt morbo, peste, aut aliâ ex causâ rationabili legere impediatur, aut ob senium superesse amplius officio nequeant: unde Ximenius Professoribus suis Complutensibus non tantùm prandium (ita enim loquebatur) sed etiam cœnam paravit: h. e. prospexit, ut habeant, unde vivant, non solùm quamdiu in Collegiis versantur, verùm etiam unde, cum senuerint, aut cum perfectis studiorum curriculis Academia relinqvenda fuerit, victum habere possint. ALV. GOMEZIUS de reb. gest.*



gest. Fr. Xim. l. 4. Quo fine etiam, si anno currente moriatur Professor, residuum anni salarium hæredibus ejus solvi solet, & annus gratiæ vocari.

XXXI.

Porro *edificia* necessaria pro recipienda Academia exstrui debent: quod ut eò fiat commodius, danda est opera, ut locus eligatur salubris, cum insalubris bonorum ingeniorum commune sepulcrum sit, & locorum natura non raro mores incolarum formet. Egregius hanc in rem est CICERONIS locus, Orat. de leg. agrar. ad pop. c. 35. Non, inquit, ingenerantur hominibus mores tam à stirpe generis ac seminis, quam ex iis rebus, quæ ab ipsa natura loci, & à vita consuetudine suppeditantur; quibus alimur & vivimus. Carthaginenses fraudulentis & mendaces, non genere, sed natura loci, quod propter portus suos multis & variis mercatorum & advenarum sermonibus, ad studium fallendi studio quæstus vocabantur. Ligures montani, duri atque agrestes. Docuit ager ipse, nihil ferendo, nisi multam culturam, & magno labore quæsitum. Campani semper superbi, bonitate agrorum, & fructuum magnitudine, urbis salubritate, descriptione, pulchritudine. Ex hac copia atque omnium rerum affluentia primum illa nata sunt, arrogantia, quæ à majoribus nostris alterum Capuam consulam postulavit; deinde ea luxuries, quæ ipsum Hannibalem, armis etiam tum invictum, voluptate cepit. Idem l. 2. de nat. Deor. refert, acutiores esse Atticos, quia Athenis coelum erat tenue; & Thebanos stupidiores, quia Thebis crasum esset: ac Indos Æthiopibus acutiores esse tradit APOLLONIUS, quia in ære versentur puriore. Multa præterea huc facientia collegit BESOLDUS, de nat.

F

popu-





*populor. c. 3, 4, 5, & 6.* Ex quibus manifestum est, ad parandam sapientiam ac virtutem non omnem locum pariter aptum esse, sed eum maximè, *qui situ opportunus, doctrinæ plurimum, minimum autem corruptela habet.* Deinde quoniam studia non delectationem modò, sed & tranquillitatem animi desiderant maximè, talis querendus locus est, *qui à strepitu est remotus, alimentorum abundat copiâ, rerumq; aliarum ubertate gaudet.* Hinc auctoritate magistratûs removendi sunt à loco studii opifices, quorum strepitu studia turbantur, expellendi scurræ, amovendum omne studiis inimicum hominum genus, procuranda annona, & de aliis necessariis maturè cogitandum. *BESOLDUS 1. Mon. Pol. 12. n. 59. v. 2.* pro loco studii illos tractus optimos esse concludit, *qui habent montes, sive ab unâ, sive ab utrâq; parte, & qui fluminibus irrigantur. Auditoria quoque & scholæ in publicis urbium, non in privatis, habeantur locis. Quamobrem Imp. Theodosius & Valentinianus Capitolinis Professoribus injungunt seridò, ne alio loco, quàm in auditorio Capitolii Romæ doceant: additâ poenâ, quod si adversus cœlestia statuta facientes deprehensi fuerint, ut nil penitus ex illis privilegiis consequantur, quæ his, quæ in Capitolio tantummodò docere præcepti sunt, meritò deferuntur. l. un. C. de stud. lib. Urb. Rom.*

### XXXII.

Haud ineptè hîc disquirunt Politici, *utrum Academiæ in magnis emporiis commodè erigantur?* Qui negativæ sententiæ adstipulantur, obesse putant nundinarum frequentiam & mercatum, quibus discantium animi non à studiis modò avocentur, sed & docentium diligenti-



gentia interrumpatur. Diffluere, pergunt, ejusmodi  
urbes luxu atqve delitiis, quibus ob divitiarum copiam  
dediti maximè mercatores; quorum sumptuosas ero-  
gationes imitari dum moliantur, aut etiam superare  
studiosi, fieri, ut parentum exhauriant marsupia, sibiq;  
adsciscant paupertatem, unde sera pœnitentia, mœror-  
qve animi tandem seqvatur. Addunt deniq;, dissemi-  
litudinem morum, quæ studiosos inter & mercatores  
intercedit, perpetuas similtates & contentiones pare-  
re, dum mercatores pecuniâ abundantes Studiosos, qui-  
bus plerunqve res angusta domi est, despiciant, hi verò,  
freti eruditione suâ, illorum insolentiam habeant ludi-  
brio, & onerent convitiis, unde frequenter à verbis ad  
verbera ultrò citroq; deveniatur.

### XXXIII.

Nobis hæ rationes non tanti videntur momenti,  
ut iisdem assentiamur. Non ubiqve eveniunt hæ in-  
commoda, quæ afferebantur, & si per accidens quandoq;  
eveniant, non protinus propter emergentem abusum  
major usus tollendus est, sed potius prudenti consilio  
bonisqve legibus incommodis illis est occurrendum;  
haud, secus ac Medici ob vitiosos humores non ipsum  
corpus destruunt, sed operam dant, ut eos è corpore eji-  
ciant. Magni certè facienda frequens cum exteris con-  
versatio, quæ in Emporiis habetur, unde magnum ad  
prudentiam civilem & elegantiam morum comparan-  
dam adjumentum est, cum, quæ in Collegiis docentur  
ac discuntur, ad praxin transferri commodè, ac experi-  
entiâ corroborari possint. Adest librorum rerumqve  
omnium selecta copia, crebrò commeant tabellarii, ad-



veniunt ex omnibus ferè locis aurigæ, unde Studiosi commodissimè adventare, ac digredi iterum, omniaq; necessaria facili negotio petere valent. Sed quid opus est verbis, ubi rerum testimonia præsto sunt? Testatur florentissima *Lipsia*, Bohemiæ oculus *Praga*, & Galliæ lumen *Lutetia*, Apollinem cum Mercurio in unâ commorari sede feliciter posse. Quod procul dubio Serenissimum Holsatiæ Principem movit, ut ante annos non ita multos *Chilonium*, primariam ditionis suæ & celebratam mercatu urbem, Musarum constitueret domicilium, novamq;ve illi Academiam introduceret.

XXXIV.

Sunt, qui *Aulas* etiam *Principum* & *munitiones* non convenire cum *Academiarum* ingenio arbitrantur: quòd aulicorum fastus, & militum ferocia abhorreant admodum ab humili mitiq; Musarum indole, lex prudentiæ svadeat, exteris nationibus, quales in *Academiis* confluere solent, liberum in *munitionibus* hospitium nequaquam esse permittendum, ne hâc ratione arcana earum cum aliis ad perniciem urbis communicari possint; & metuendum sit, ne Studiosi, eruptione militum factâ, in eorum consortium pertrahantur, & innocentes variis periculis, ut in tumultibus *Argentina*, ante complures annos ortis, implicentur. Nobis tñ. affirmativa quæsitæ pars probatur, quia studia loca requirunt tutissima, quæ *munitiones* & loca *Principum* aulis destinata; & multa in aulis pariter ac munimentis occurrunt singularia, quæ Studiosis cognitu maximè sunt necessaria; illis præsertim, qui vel olim sectari militiam, vel *Reipublicæ* gubernacula capessere intendunt. Con-  
firmat



firmat hoc celebris & antiqva *Heidelbergensium* Academia, quæ à magnificâ Potentissimi Electoris Palatini aulâ multum splendoris ac incrementi habet. Confirmat & *Hafnia*, Daniæ metropolis, munitissimum aulæ regalis & Academiae receptaculum; & illustris *Salana*, ubi Celsissimus Dux Vinariensis principalem sedem fixit. Et quot præterea fortalicia generalia studia defendunt? *Wittenberga* in Saxoniâ, *Argentina* in Alsatiâ, *Vienna* in Austriâ, *Ingolstadium* in Bavariâ, *Gießa* in Hasfiâ, *Lugdunum* in Bataviâ, *Patavium* in Italiâ; &c.

XXXV.

*Forma juris constituendi Academiam consistit in collatione jurisdictionis, auctoritatis profitendi publicè privatimq; artes omnes liberales, scientias & Facultates, ut & conferendi gradus & honores Academicos; aliorumq; jurium & privilegiorum. Jurisdictio infert potestatem subjectos Universitati coercendi, quæ in nonnullis est restrictior, ut mixtum tantum complectatur imperium; in aliis amplior, ut & ad merum imperium se extendat; quâ de re consulenda sunt *Diplomata foundationis*, in quibus plerumq; variis ac circumscriptis formulis jurisdictio assignatur. Conf. LANSIUS *de Acad. p. 49.* Academicarum immunitates & privilegia sunt amplissima, non tamen in omnibus eadem. Consuluisse hinc juvabit MIDDENDORPIUM *de Academiis*, qui singula fusè pertractat. Multi quoque in hoc negotio sunt JCTI ad *urb. Habit. c. ne fil. pro patre.* Centum & octoginta Studiorum privilegia recenset REBUFFUS, centum verò tantum HORATIUS LUCIUS, *de privil. Schol.* Et observandum, quòd, quæ immunitates & privilegia Profes-*

fes-





fesforibus ac Studiosis in genere concessa sunt, iis etiam  
fermè omnibus fruuntur *Doctores non-Professores*, eo  
rum *uxores, liberi, viduae, domestici, famuli, Pedelli*, & in  
universum, quicunq; ad Academiae corpus referuntur.  
LANSIUS *l. c. p. 61.*

### XXXVI.

Palmarium ex privilegiis Academicis est *conferen-*  
*darum dignitarum Scholasticarum potestas*, per quam in  
exantlatorum studiorum solatium & ornamentum be-  
nè meritis, præviis examinibus, & accuratâ eruditionis  
exploratione, certi honorum gradus distribuuntur. Ob-  
scura perquam sunt hujus instituti incunabula, pro cer-  
to tamen habet HERM. CONRINGIUS, *de Antiq. Acad.*  
*disfert. 4.* Seculo Christiano *tertio decimo* apud Theo-  
logos, Jctos, Medicos & Philosophos hujusmodi ho-  
norum, titulorumq; collationem usu receptam esse, ac  
ante id tempus inveniri nihil, cui tutò insistere liceat.  
Contra TH. LANSIUS *l. d. p. 71.* pro comperto habet,  
*Lotharii Saxonis Imp. Romani* ætate consuetudinem  
creandorum in Scholis Magistrorum & Doctorum so-  
lennibus cerimoniis cohonestari cœpisse: quod ipsum  
& confirmat PETRUS HEIGIUS *Quest. Jur. part. 2. q. 11.*  
*n. 48.* nec non BOCERUS, *in Orat. de liter. Grad. & honor.*  
Quicquid de eo sit, certum est, quod talia eruditionis  
insignia honestè & appetantur, & aslumantur, dummo-  
dò eruditio iis correspondeat. *Rituum, sive ceremoniarum*  
*solennia*, quarum in publicis promotionibus usus est, *sex*  
à qui usdam numerari solent, *Cathedra, Biretum, Liber,*  
*Annulus, Osculum, Benedictio*; quorum priora quatuor  
pro substantialibus & necessariis habent Doctores, po-  
steriora verò duo omitti posse arbitrantur. Ac primò  
qui-



quidem collocantur *Candidati in cathedram*, tanquam in  
signum acquisitæ doctrinæ, & possessionis juris docen-  
di, cum ex Cathedrâ docere nulli sine permisso Prin-  
cipis liceat. Deinceps *traditur ipsis liber, clausus* primùm,  
in signum latentis jam in corde scientiæ, quam non de-  
mum ex libris comparari oporteat; qui postmodum  
*aperitur*, ut doceatur, non nudam librorum posses-  
sionem doctos facere, sed assiduo studiovolvendos & re-  
volvendos esse, cum sæpenumerò res altioris indaginis  
proponantur, quæ non ex tempore statim & memoriâ,  
sed auxilio mortuorum magistrorum, decidi possunt.  
Porro *capiti*, ceu principali membro, & castro scien-  
tiæ ac eruditionis, *imponitur pileus, seu Biretum*, liberta-  
tis insigne, ut recens promoti spectatæ virtutis, indeq;  
promeritæ libertatis, immunitatis & dignitatis admo-  
neantur. *Aureo annulo exornatur digitus*, in notam sin-  
gularis eminentiæ, cum jus aureorum annulorum an-  
tiquitus solis nobilibus competierit, & ut desponsatam  
sibi putent scientiam, quemadmodum annulo matri-  
monium contrahitur. Quibusdam in locis *candida-  
torum humeri vestiuntur Epomide, aut Epitachio*, quo ve-  
teres Philosophi usi fuerunt, ut hoc vestimentigenere  
à vulgo secernantur, & artis suæ, quam quisq; exercet,  
signum exterius in veste appareat. *Complexu deniq; &  
Osculo excipiuntur*, in symbolum pacis, amoris & con-  
cordiæ, ut cogitationes & actiones suas ad amorem,  
concordiam & tranquillitatem publicam privatamque  
conservandam & amplificandam dirigant. Quibus  
peractis, votisq; pro Academia bono DEO factis, Aca-  
demiæ proceribus, aliisque vocatis hospitibus *munera*  
non-



nonnunquam *distribuuntur*, Promotiq; in cathedra jus  
docendi in materia aliqua publicè exercent, actisq; gra-  
siis solenni promotionis actui coronidem imponunt.

XXXVII.

Nunc paucis Academicos gradus singulatim con-  
templabimur. Primus ac infimus *BACCALAUREATUS*  
est, quod nominis alii à Turcico *Başalar*, quo designan-  
tur homines præcipui, qui propter consilium semper se-  
quuntur Principem: alii à *baccâ laureâ*, quòd olim hujus  
gradûs Candidatis frondes laureæ auro & argento de-  
coratæ offerebantur, quod adhuc in quibusdam Gallia  
locis moris esse HERMES ait, *Fasc. 7. P. c. 33. n. 154.* alii à  
*Bacillo* s. *Baculo*, quasi *Bacularius*, quod primam studii au-  
toritatem per bacilli exhibitionem consecuti sint: alii  
à *Batuendo*, quasi *Batualius*, vel *Batalarius* derivant, sum-  
pto vocabulo ex militiâ armatâ. Uti enim *Batualius*  
dicitur is miles, qui jam semel pugnae, collatis signis, in-  
terfuit, hostem batuere, & manum cum eo conferere  
ausus: ita in palæstra & militiâ togatâ *Batalarius* dicitur,  
qui publicè de arte quâpiam disputavit, inq; tentaminis  
confictu eruditionis suæ specimen de se præbuit. No-  
bilis. Dn ZIEGLERUS, *Dissert. de Jur. Maj. 6. §. 26. VOSS-*  
*SIUS de vitiis serm. c. 19. p. 77.* Omnibus equidem Facul-  
tatibus est communis, frequentior tamen ejus usus in  
*Philosophiâ*, quàm in superioribus Collegiis. Tanti fuit  
olim æstimata hæc, licet minima, dignitas, ut illustres  
etiam Personæ, ac Principes eam non averfati sint: quos  
recenset NOLDEN. in *appendice ad Tract. de Statu Nobi-*  
*lium civili.* Quemadmodum autem in loca sublimiora  
per scalas certosq; gradus ascenditur, ita & Academia  
non-



nonnullæ per Baccalaureatum ad summum in qualibet  
Facultate gradum Candidatos suos eniti voluerunt:  
unde in *Galliâ* præcedit Licentiam, ut Licentia Docto-  
raturæ, ne quis per saltum promotus dicatur, THOLO-  
sæ, l. 18. de Rep. c. 9. n. 5.

### XXXVIII.

Secundus gradus MAGISTRO-  
RUM est, quod no-  
men olim excellentibus Theologis peculiariter tribu-  
tum, sicuti *Parisis*, *Lovanii*, & *Colonia* etiamnum Magi-  
stri nostri appellantur; nunc verò iis proprium, qui  
*summum in Philosophiâ gradum obtinuerunt*. Fuit & hæc  
dignitas majorum ævo in precio habita, & à nobilibus  
etiam, Baronibus, Comitibus, ac Principibus assumta,  
quemadmodum ex NOLDENO, l. c. patet: nunc sor-  
det multis, & seculi vitio, quod literas haud ex merito  
veneratur; & quod nonnunquam hoc titulo superbiant,  
qui Musas vix à limine salutârunt. Conqueritur de eo  
LANSIUS, l. c. p. 75. *Multis in Germania Academiis Magi-  
sterii & Baccalaureatus honores admodum præcociter ma-  
turescunt; aut potius ante tempus colliguntur; quâ præ-  
posterâ hominum sinisteritate omni fructui sua venustas,  
& nunquam reparanda saporis gratia perire solet.*

### XXXVIII.

Succedit LICENTIA, gradus in superioribus tri-  
bus Facultatibus supremo proximus, inde dictus, quod  
per eam *licentiam Doctoris titulum & privilegia capeßen-  
di* consequantur: id quod in nonnullis Academiis so-  
lenni promotionis actu, in aliis absque notabili solenni-  
tate fieri consuevit. Qui gradum hunc assumserunt,  
à Facultate istius Academiae, in quâ promoti sunt, pro-  
missio-

G

missio-



*missione, vel etiam juramento adstringi solent, se nec gra-  
dum reiteratos, nec alibi insignia Doctoralia recepturos.*  
Solent in *favorabilibus* æquiparari Doctoribus, quòd  
cingendus habeatur pro cincto, & in Licentiato eadem  
essentialia, mores scilicet & scientia, adesse debeant,  
quæ requiruntur in Doctore; ast non æquè *in odiosis*:  
quod quidam ad eos tantum restringunt, qui solenniter  
sunt promoti. LIMNÆUS de *J.P.l.8.c.8.n.40.seqq.* BE-  
SOLDUS de *Jur. Academ. c.4. §.6.*

#### XL.

Supremus in tribus superioribus Facultatibus gra-  
dus DOCTORATUS est, à *docendo* dictus, non quòd  
actu semper doceant Doctores, sed quod ad docendum  
apti sint. Magna hæc dignitas est, multisque singulari-  
bus & illustribus privilegiis ornata, nec non à multis  
nobilibus, illustribus, & principibus viris usurpata, do-  
cente iterum NOLDENO, *l.a.* Quo major adhibenda  
est cura, ne vel petatur sine conscientia probitatis mo-  
rum & exquisitæ eruditionis, vel sine scientia horum &  
evidentibus documentis conferatur. Hanc ob caus-  
sam *Lovaniensem* Academiam dilaudat VERNULÆUS,  
*l.2.de Acad. Lovan. c.1.* quòd ibi supremi honoris, seu  
Doctoratus insignia, nemo, nisi scientia qui præclarus,  
moribus gravis, ætate maturus, reportet, trigessimum,  
scilicet attingens annum, aut ætatem doctrinæ præcel-  
lentiã superans. De *Statu, juribus & privilegiis Docto-  
rum omnium Facultatum* plura qui cognoscere cupit,  
adeat JOH. CHRIST. WALTHERUM, in *peculiari Tra-  
ctatu* hæc de re edito. *Exempla mulierum, quæ Doctoris*  
gra-



gradum in Theologiâ aut Jure sunt consecutæ, pro-  
ducit LIMNÆUS, in *Addit. post. ad l. 8. de J. P. c. 8. n. 96.*

XLI.

Properandum paucis ad *Finem* est, quem *bonum publicum* constituimus. Eò etenim omnia Majestatis jura collineant, ut Reipublicæ benè sit: quæ si ullâ è re, certè ex Academiarum erectione incredibilem utilitatem capit. Non dicam de eximio splendore, quem iis civitatibus, in quibus conditæ sunt, afferunt, nec memorabo lucrum, quod à Studiosis in cives redundat, tantum profectò, ut LANSIUS *l. c. p. 40.* affirmare non dubitet, si septingenti saltem, aut octingenti Studiosi Academiae cujusdam, quæcunqve tandem illa fuerit, sint alumni, *centum aureorum millia* quotannis eò deportari: illud meritò magnificandum est, quòd religionis purior cultus, accuratior justitiæ administratio, cura valetudinis exquisitior, rerum divinarum humanarumqve scientia, virtutum cultura facilior, matrimonia & affinitates honorificæ, ac non vulgaris nominis celebritas ab Academiis promanet. Testantur hoc plurimæ in *Germaniâ, Galliâ, Italiâ & Poloniâ* urbes, ad summum nunc perductæ fastigium, quarum fama ante exstructa hæc literarum Gazophylacia tam obscura fuit, ut Geographi in tabulis suis eas planè neglexerint. Sensit idem Ludovicus IV. Galliæ Rex, non minus literis, quàm armis, regni sui gloriam & tranquillitatem contineri. Itaque cum cives Parisienses Studiosorum nonnullos indignis modis pulsarent & occiderent, ac ordo Scholasticus, sibi de istis acceptis injuriis non satisfieri conque-  
stus, in alia cæterarum urbium Musæa concederet, Rege





Angliæ, propositâ ingentium præmiorum, honorum, vacationum, emolumentorumq̄ve spe, plurimos Oxoniæ alliciente; prudentissimus Rex Ludovicus, non minus decoris artes liberales, humaniora studia, sacram disciplinam, cultumq̄ve ingeniorum Francis, quàm arma, afferre prædicans, egregiamq̄; confociationem fore, bellicarum rerum gloriâ cum divinarum humanarumq̄ve rerum cognitione ac doctrinâ conjunctâ; regiæ urbis cives ad officium, colendosq̄ve Doctores & discipulos revocavit, atq; ita ingenuis artibus suum splendorem decusq̄; restituit. PAUL. ÆMILIUS *de reb. gest. Franc. l. 7 in vit. D. Ludovici.*

XLII.

Ex hæctenus disputatis talem concinnamus Juri in Academiis *Definitionem: Jus circa Academiis est potestas summa civilis, quâ corpus artes & Facultates publicè docentium discentiumq̄; solenniter instituitur, dotatur, & jurisdictione, auctoritate conferendi honores scholasticos, aliisque privilegiis & immunitatibus instruitur, salutis publicæ causâ. Quæ Definitio, cum ex præmissis satis pateat, non uberiores requirit explicationem. Nos finem imponimus Dissertationi, æternoq̄ve Numini pro concessâ ope immortales gratias nuncupamus.*








**D**um colis Astræam, MILTIZ, & dogmata Juris,  
 Hinc dotes præstas Nobilis ingenii.  
 Perge Tuis porrò constans insistere cæptis,  
 Sictuus ut possit præmia ferre labor.

*Michael Fridericus Ledererus,*  
 U. J. D. & P. P. t. Acad. RECTOR.



*Ad Generosum ac Nobilissimum*

**D**num. Mauritium Henricum à **Miltitz**/

Amicum singulari amore prosequendum.

**DE JURE ACADEMIARUM**  
 publicè & politicè disputantem.

**M**ILTIIADUM claro, MILTITZI, stemmate Nate,  
 Dum celare neqvis Virtutis & artis amorem,  
 Innatas animi dotes ostendis AVORUM,  
 Qvos immortales veneratur & orbis adorat.  
 Et qvos vel jam nunc Virtus commendat ubiqve,  
 Elector Summus qvos diligit, admovet AULÆ,  
 Ut patriæ dulcis fulcra atqve columina rara,  
 Hæcte, MILTITZI, moveant exempla TUORUM  
 Nunc AGNATORUM, vel eris sic maximus ipse  
 Principis & PATRIÆ GENTIS splendorq; decusq;!

*Amicâ & gratulabundâ mente  
 inter graviora studia deproper,*

**Werner Theodorus Martini, J. U. D.**

P. P. Seren. Elect. Saxon. à Consil. Appel.

G

Ad






Ad  
*Generosum & virtute sua Nobilissimum Juvenem,*  
**DN. MAURITIUM HENRICUM**  
**à MILTITZ,**  
Equitem Misnicum,  
*Fautorem & Amicum singularem:*

**O** MILTIZIADES veterum late gente Qviritum,  
Misnia semideos quos omni tempore & ævo  
HEROAS inter coluit, primâq; locavit  
Sede ipsos Virtus. Post plurima Nomina, testor  
HAUBOLDUM, Columnen simul & Patriæ Ornamentum,  
Nestora Germanum, Pietas quem sancta fidesq;  
Sistit in exemplum cunctis. HENRICE GEBHARDE,  
Mecœnas, Aravis Heroibus edite, summi  
PRINCIPIS & Manus & Cor, ne dicam amplius, es Tu.  
Ergo imitare Tuos, MAURITII strenue, Magnos  
MAJORES, pariter TUTORES, atq; PARENTES!  
Nil humile admittit florens MILTIZIA Virtus,  
Hæc memori si mente colas, super astra volabis.

Honoris officiiq; causâ  
defestinat. gratulab.

**Georg. Casp. Kirchmayer,**  
Eloqv. P. P.



**J**AM dum MILTIZI producis JURA SCHOLARUM,  
Jomine sat læto! Multum lætamur Amici,  
Vota inter, pro successu gratisima quæq;ve  
Qvi ferat, ut lautum possis aliquando velisq;,  
Laudis non negligens, Academica quæq; juvare.

Calamo festinant. sed gratulabundo  
Generoso DN. à MILTIZ,  
Fautori amicissimo  
scr.

**Franciscus Henr. Hoëltich, D.**  
Mar-



**M**Arte juvat, juvat arte Tuas extendere dotes,  
    Qvas natura Tibi contulit, atqve genus.  
Hinc florecentis nutrix Academia vitæ est,  
    Lac Tibi virtutis notitiæqve parans,  
Consilio ut patriam, forti dextrâqve tueri,  
    Principibusqve viris perplacuisse queas.  
Huic jam redde vicem, concessaqve jura revolve,  
    MILTIZI, duplici nobilitate micans.  
In Te Majorum virtus & fama perrennat,  
    Et Cognatorum gloria celsa viret.

*Generosissimo DN. RESPONDENTI*

f.


**PRÆSES.**



**E***st argumentum, MILTIZ, Academia faustum.*  
*Ita bonis avibus: disere: plausus erit.*

f.

**Samuel Conrad Schurtzfleisch.**



**S***ic jam Panchæis cumulas subsellia donis,*  
*Etfacit insigni tramite Phœbus iter.*  
*Id placet Aoniis, id MILTIZIISq; probatur:*  
*Hinc ausis veniet gloria magna tuis.*

*scrib.*

**P. Peterson.**

**N. Liv.**

**Wie**



QK III 4562

**W**e steht mans / wenn ein Geist der Tugend Gunst  
verspüret?  
Schon schleunig macht er sich vom schändlichen  
bel loß/

Hergegen sein Gemüht mit Künsten herrlich zieret.  
Dann nimbt ihn Leucoris bald auf in ihren Schoß.  
Mit edler Wissenschaft vergöttert er die Sinnen/  
Es schwärzet seinen Geist kein trüber Laster-Dunst:  
Und dieses ist nur bloß sein einziges Beginnen/  
Daß er bey dem Klugen Volck erlange Ehr und Günst.  
Du eben / Werthester / bist deß ein Zeuge worden/  
In dem dein Geist allein nach Ehr und Weißheit strebt/  
Daß man dich lieben muß / auch der Gelehrten Orden/  
Und unser Elb-Athen dir stäts gewogen lebt.  
Der Musen Ober-Herz wirdt deinen Nahmen zeigen/  
Ich selbst den wünsche Glück / begrüße deinen Fleiß.  
Von deinen Früchten wirdt dein Vaterland nicht schweigen/  
Weil es von dir sonst nichts / als Edlen Nach-Ruhm  
weiß.

Seinen Freund wünschet Glück und  
Wohlergehen

Casimir von der Osten.



lorn





dec  
sius  
reb  
acc  
ma  
seq  
con  
tis  
rum  
nun  
ner  
den  
noc  
hoc  
imi  
ama  
qvo  
Nus  
ledi  
ejusa  
cord  
terd  
aliua  
  
lium  
qui  
Nam  
jure  
te,ta

nisfuros. LAN-  
R. GOMEZ, de  
eò dictum quis  
m delicta ani-  
admisso, quid  
nnis disciplinæ  
diofa honesta-  
etatis & bona-  
cio quæ libidi-  
versoria dege-  
peratam pru-  
imis exemplo  
verit; quòd &  
edicatorumque  
per, verum  
amen animo,  
tè SALVIA-  
bonestum est;  
terdum animi,  
at, ratione con-  
are, amor in-  
quum tamen  
nsam.  
  
totum consi-  
ps Rector est,  
let dignitate,  
mica partes  
cipe potesta-  
ne, habet, su-  
flinet,

